r241
W228

Duquesne University:

Gift of
William John Walsh
SP Coll

Rev. D.J.Walsh

100

TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS.

AUCTORE

GULIELMO J. WALSH, S.T.D.,

ECCL. METROPOL. DUBLIN. CANONICO; THEOLOGIAE DOGMATICAE ET MORALIS IN COLLEGIO MAYNUTIANO S. PATRICII OLIM PROFESSORE; EJUSDEM COLLEGII PRAESIDE.

EDITIO ALTERA

ANNUENTE ILLMO RMO AUCTORE TYPIS IMPRESSA

UNIVERSITY OF PITTSBURGH LIBRARY PITTSBURGH, PA.

DUBLINII:

APUD M. H. GILL & FILIUM; BROWNE & NOLAN.

LONDINI: BURNS & OATES.

1891.

PRAEFATIO AUCTORIS.

QUID mihi potissimum proposuerim in hoc opusculo scribendo paucis dicendum esse videtur.

R. P. Gury, theologus doctissimus, in *Tractatu de Actibus Humanis* qui est in exordio ejus Compendii Theologiae Moralis, eam viam rationemque iniit rem tractandi quae non solum probanda per se est, sed meo quidem judicio ceteris quod sciam praestat. At negari non potest quin ille insignis theologus de hac gravissima Theologiae Moralis parte breviter summatimque, ne dicam jejune et exiliter, disputaverit. Quamobrem ea quae ab illo praetermissa sunt editores recentiores, iique doctissimi, adjicere voluerunt. Unde factum est ut quae addita sunt in editionibus[1] Ratisbonensibus et in Lugdunensi, praecipue vero ea quae R. P. Ballerini annotavit in editionibus Romae impressis,[2] non minus nota

---

[1] *Compendium Theologiae Moralis*, auctore P. Joanne Petro Gury, S.J., Editio in Germania 3tia, Ratisbonae, 1862: Editio in Germania 4ta, Ratisbonae, 1868: Editio novissima multis correctionibus aucta et Recentioribus Actis Sanctae Sedis, maxime Constitutioni SS. D.N. Papae Pii IX super Censuris Latae Sententiae, accommodata, a R. P. Henrico Dumas, ejusdem Societatis; Lugduni, 1874.

[2] *Compendium Theologiae Moralis*, auctore P. Joanne Petro Gury, S.J., Editio 17ma, ab Auctore recognita et Antonii Ballerini ejusdem Societatis in Collegio Romano Professoris Adnotationibus locupletata, Romae, 1866: Editio altera, novis curis expolita et aucta, Romae, 1869: Editio 3tia, novis curis expolitior et auctior praesertim Responsionibus ad Vindicias Alphonsianas, Romae 1874.

sint, neque minus divulgata in scholis theologicis ubique terrarum, quam quae P. Gury ipse conscripserit.

Hoc vero compertum habui, usu plurium annorum edoctus quum Theologiam traderem, rationem ab editoribus adhibitam plurima in imis paginis annotandi ad textum ipsum explicandum et aliquando corrigendum non satis prospicere utilitati eorum qui Theologiae Morali operam dant, maxime incipientium. Itaque existimabam me rem utilem facturum si eadem plane forma et ratione operis conservata quam P. Gury adhibuit, non modo materia similiter in capita et sectiones distributa, sed ipsis clarissimi Auctoris verbis usurpatis, tractatum conficerem ejusmodi in quo lectores, non impediti multis annotationibus, res plene tractatas in textu ipso haberent.

Neque ea certe mihi mens fuit ut opus P. Gury submoverem, sed ut adderem quae ei deesse viderentur, atque efficerem ut, textu ejus plenius explicato et illustrato, tum Professores in hac re pertractanda, tum auditores, libro commodius uterentur.

Hoc opus ante plures annos suscepi, quum existimarem futurum esse ut in toto fere Theologiae Moralis cursu, aut saltem in majore parte, idem perficere possem. Neque necesse est dicere ea quae in ceteris tractatibus addenda videantur multo pauciora esse quam quae desiderata sint in

hoc Tractatu de Actibus Humanis, qui est quasi fundamentum totius de moribus doctrinae theologicae. Sed hoc consilium operis quemadmodum volui persequendi eae evenerunt res quae me dimittere coegerint. Non omnis tamen mihi deest spes fore ut aliquid hujusmodi conficere possim, saltem quod spectet ad aliquas graviores Theologiae Moralis partes quas, quum Professoris munere fungerer, in scholis tractabam.

Duo sunt in hoc libello quae praecipue animadverti velim: primum, in singulis paginis appositi sunt numeri ad indicandas eas sectiones Tractatus P. Gury in quibus de iisdem rebus agitur: deinde ad extremum librum adjunctum est *Compendium in Usum Examinandorum*, in quo ad modum interrogationum et responsionum summa totius rei continetur.

Quibusdam fortasse videbitur me latiore quam necesse sit expositione usum esse. Quos commonere velim hunc meum Tractatum multo breviorem esse quam quos de eodem argumento conscripserint praeclari Theologiae Magistri, qui quidem voluerint non breviter strictimque rem attingere, sed eas omnes quaestiones quae in hac materia gravissimae sunt et difficillimae plene exponere et illustrare. Neque dubito quin ope numerorum de quibus jam dictum est legentes, praetermissis iis omnibus quae superflua esse judicaverint, quaestionem quamlibet quae in

Tractatu P. Gury non satis exposita esse videatur facillime reperturi sint.

Quod si qui me reprehendent quod ipsa aliorum scriptorum verba tam saepe usurpaverim, quum res ab iis expositas potuerim meis verbis tradere, cur id fecerim hae potissimum sunt causae : primum intelligere nequeo quid sit emolumenti si quis aliis verbis dicat, profecto non melius, ea quae jam a clarissimis scriptoribus omni ex parte recte exposita sint : deinde illud semper judicavi maximi esse momenti ut ii qui incipiunt in Theologiae studium incumbere adducantur ut scripta insignium theologorum, quoties detur facultas, ipsi adeant. Hoc vero, ut mihi videtur, optime fit quum intelligunt, id quod pro viribus praestare volui, eas res, de quibus quaerunt, ab illis scriptoribus tam plene clareque expositas esse, ut eas multo facilius mente consecuturi sint quam si easdem ab aliis brevius contractiusque tractatas legant.

Quod quidem praecipue confirmaverim de illo Scholasticorum omnium principe et magistro, Angelico Doctore, "qui, uti Cajetanus animadvertit, veteres doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est," quique "ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus orbem terrarum calore

virtutem fovit, et doctrinae splendore complevit."[1] Ille enim, ut nuper e cathedra veritatis edocti sumus, quum nulla fuerit sacrae philosophiae pars "quam non acute simul et solide pertractarit," "de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur."[2]

Etsi vero id maxime mihi cordi erat ut in omnibus vestigia persequerer Patroni tanti ac Doctoris cujus ea fuerit veritas sententiarum, ut nunquam qui doctrinam ejus tenuerit inventus sit a veritatis tramite deviasse,[3] me tamen non praeterit id accidere potuisse ut in tot exponendis quaestionibus, iisque tum subtilibus tum obscuris, nonnulla minus vera praeter voluntatem tradiderim. Idcirco ea omnia quae in hoc Tractatu scripsi, sicut alia mea quaecumque sive jam scripta, sive postea, si qua erunt, scribenda, judicio Pontificis Romani, cui in B. Petro concreditum est infallibile magisterium Ecclesiam ipsam universam docendi, ea qua decet reverentia et obedientia, toto corde subjicio.

MAYNUTIAE,
Die Festo SS. Angelorum Custodum, 1880.

---

[1] Vid. Encycl. *Aeterni Patris* (4 August., 1879).
[2] Ibid.
[3] Ibid.

TRACTATUS
DE ACTIBUS HUMANIS.

1. Quum Theologia Moralis versetur in actibus humanis dirigendis, exordium tractationis nostrae ab ipsis *humanis actibus* ducemus. Agendum igitur hic nobis erit 1° de *notione*, 2° de *elementis*, 3° de *moralitate* actuum humanorum.

2. Praemittenda tamen videtur brevis quaedam expositio facultatum animae humanae, atque nexus quo inter se connectuntur. Sit igitur,

PROŒMIUM,

DE FACULTATIBUS ANIMAE HUMANAE.

3. Duplex in homine distinguendum est facultatum genus : (*a*) facultates *cognoscendi*, quibus animus notitiam capit objectorum quae ei exhibentur, apprehendens alia ex iis esse bona et ideo eligibilia, alia vero esse mala et ideo rejicienda : (*b*) facultates *appetendi*, seu *appetitus*, quibus animus fertur in ea objecta quae apprehenduntur ut bona, a caeteris vero refugit.[1]

4. Utrumque insuper genus complectitur facultates duas ; alteram, quae homini cum brutis communis est, alteram homini propriam. Sic primo distinguuntur duae facultates *cognoscendi ; sensus* et *intellectus*. Quibus duo respondent *appetitus ; sensitivus* seu *inferior*, quo

[1] De his vid. Tongiorgi, *Instit. Philosophicae*, Lib. iii. nn. 267 et seq.

homo tendit in bonum apprehensum per sensus, atque *rationalis* seu *superior* (quae etiam *voluntas* vocatur), quo tendit in bonum apprehensum per intellectum.[1]

5. Bonum in genere definitur *id quod est alicui conveniens;* atque duplex distinguitur, alterum *sensibile*, alterum *rationale*. Bonum *sensibile* illud est quod convenit sensui, v.g. cibus delectabilis, dulcis musicae sonitus. Bonum *rationale* est illud quod convenit naturae rationali, qua talis est, v.g. servare praeceptum a superiore impositum. Aliquando in eodem objecto invenitur bonum utriusque generis; v.g. si quis recreandi animi causa quo aptior efficiatur ad sua munia perficienda, suscipiat iter per loca amoena faciendum. Aliquando autem in objecto est bonum unius duntaxat rationis: sic v.g. servare jejunium quadragesimae est bonum rationale, haud vero sensibile: e contra carnes feria sexta comedere adversus ecclesiae praescriptum, etsi bono rationali adversatur, bonum tamen sensibile est.

6. *Sensus* tanquam bona apprehendit ea sola quae bona sunt sensibilia: *intellectus* vero tanquam bonum apprehendere valet objectum quodvis in quo ratio alicujus boni, sive rationalis sive sensibilis, invenitur; nam intellectus haud minus quam sensus, etsi modo diverso ac perfectiore, objecta sensibilia apprehendit.[2]

7. Quum ita constituatur homo ut in illud solum feratur quod sub aliqua ratione apprehendat ut bonum, sequitur utrumque appetitum ita ex facultate cognoscendi pendere, ut nequeat appetitus objectum aliquod amplecti donec fuerit aliquo modo, vel sensibus vel intellectu, cognitum; appetitus enim ipse, sive inferior sive superior, *facultas caeca* est, quippe quae minime valeat objectum scrutari ad dignoscendum utrum bonum sit et eligendum an non.

---

[1] Vid. Tongiorgi, *Instit. Phil.*, Lib. iii. n. 503.
[2] Cf. id. ibid.

8. Ex eo tamen quod voluntas nequit ferri in incognitum, et ideo non valet agere donec praecesserit actus intellectus quo objectum tanquam bonum exhibeatur, minime sequitur eam hujusmodi actu compelli ad amplectendum bonum sic propositum.

9. Voluntas enim objectum amplectitur aliquando *libere*, aliquando *necessario*. *Libere*, quoties intellectus objectum sic exhibet, ut aliqua ratio mali simul cum ratione boni eidem inesse deprehendatur: sic v.g. bonum aliquod finitum sub hac saltem ratione judicari potest malum, quatenus secum affert privationem alius boni quod extra illud invenitur neque simul cum eo acquiri ac possideri potest: atque haud raro ea quae sensibus conveniunt rationi adversantur, ac vice versa. Vid. supra, n. 5.

10. Voluntas *necessario* agit quoties intellectus objectum proponit tanquam omni sub ratione bonum, adeo ut in illo nullam omnino apprehendat rationem mali, neque ullum alius boni defectum: hoc modo Beati in coelis necessario Deum amant, "quia quum Deum, prout in se est, clare videant, et in ipso omne bonum, non possunt extra ipsum invenire aliquam rationem boni nec in actu amoris aliquam rationem mali, propter quam cessarent ab amore Dei, ac proinde non possunt ipsum non amare."[1]

11. Neque tamen censendum est necessarium esse voluntatis actum quo Deum diligunt homines viatores. Etenim "quamvis Deum apprehendimus tanquam omne bonum, ita ut *in ipso* nihil mali aut defectus inveniri possit, *in exercitio tamen actus amoris Dei* possumus apprehendere rationem difficilis, aut impedimenti aliorum actuum, ac propterea ab isto exercitio retrahi, et sic actus amoris Dei in hac vita adhuc est liber."[2]

---

[1] Cf. Perin, *Tract. de Actibus Humanis*, Quaest. 2. art. v. § 1.
[2] Id. ibid.

12. Felicitatem autem, seu bonum universim sumptum, necessario appetunt homines etiam viatores. Etsi enim in bono aliquo speciali potest ratio mali inveniri, aliud dicendum est de bono in communi sumpto, in quo nihil non modo malum, sed ne difficile quidem inveniri potest.[1] Immo quidquid appetit et facit homo, id appetit et facit ex hujus boni appetitu. "Qui bonus est," ait S. Augustinus,[2] "ideo bonus est ut beatus sit, et qui malus est, malus non esset nisi se inde beatum esse posse speraret. Verbi gratia, pone aliquem furem ; quaero ab illo : 'quare furtum facis?' 'Ut habeam, inquit, quod non habebam.' 'Quare vis habere quod non habebas?' 'Quia miserum est non habere.'"

13. Dum voluntas in suis actibus modo exposito pendet ab intellectu, ipsa vicissim in intellectum et in omnes hominis potentias dominium quoddam habet, "et velut omnium regina ipsis imperare potest, sive eas ad agendum movere vel ab actu amovere:"[3] sic v.g. valet voluntas efficere ut moveantur membra corporis, brachium, manus, etc. ; sic etiam valet flectere intellectum ut de re aliqua cogitet aut desinat de ea cogitare.

14. Haud tamen ita voluntas potentiis caeteris imperat ut nequeant imperio ejus resistere. Aliud quidem est imperium *despoticum*, aliud vero *politicum*.[4] *Despoticum* dicitur quum quis imperat aliis qui in re nulla possunt imperio resistere, sicut v.g. instrumenta nequeunt resistere artifici. Imperium vero *politicum* est quum quis aliis, v.g. rex civibus, præest, qui, etsi obedire tenentur, aliquo tamen modo renuere possunt. Sic voluntas intellectui imperat tantum *politice ;* etsi igitur aliquando meditamur et studemus quia haec volumus, aliquando

---

[1] Cf. S. Thom., *In Lib.* 2. *Sententiarum*, Dist. 25. q. 1. art. 2.
[2] *Tract. de Epicur. et Stoic.*, Cap. ii. n. 4.
[3] Perin, *Tr. de Act. Humanis*, Quaest. 2., art. 1. § 1.
[4] Vid. Tongiorgi, *Instit. Phil.*, Lib. iii. n. 506, 8°.

tamen intellectus imperio voluntatis resistit ita ut, quantumvis conemur eum a cogitationibus quibusdam avertere, id tamen efficere non statim valeamus.

15. Sic quoque voluntas imaginationi atque sensitivo appetitui tantum *politice* imperat : *despotice* vero, plerumque, imperat externis corporis membris.

16. Quod ad intellectum attinet, animadvertendum est haud posse fieri ut unquam a voluntate flectatur ad cogitandum de aliqua re, donec prius in ipso aliunde excitata sit aliqua hujus rei cogitatio. Unde axioma : *prima alicujus rei cogitatio non subjacet imperio voluntatis.* Ratio patet ex antea (n. 7.) dictis. Antequam enim voluntas valeat de re aliqua agere, v.g. imperare ut intellectus de ea re cogitet, necesse est ut objectum illud sit prius ab intellectu apprehensum atque propositum voluntati tanquam ipsi eligendum : porro vi terminorum repugnat ut hi intellectus actus, quum utique cogitationes sint, *antecedant cogitationem* quam intellectus de re eadem *primam* concipiat : ideoque repugnat ut voluntas suo imperio efficiat ut intellectus *incipiat* de aliqua re cogitare.[1]

17. Ad primam ejusmodi cogitationem potest homo (*a*) immediate a Deo moveri : ordinarie tamen excitatur vel (*b*) per sensus exteriores, quum quis, audito v.g. sonitu campanulae ad missam vocantis, animadvertit diem esse festum, cujus antea erat omnino oblitus ; vel (*c*) sine externorum sensuum operatione actuali, quum v.g. memoria aut imaginatio, naturaliter concitata, rem intellectui proponit.[2]

18. Quod si prima rei cogitatio fuerit aliquo modo in intellectu excitata, tunc voluntatis potestati plane subjacet imperare ut intellectus cogitationem prosequatur.

---

[1] Cf. Suarez, *Tr. de Voluntario*, Disp. 6. sect. iv. n. 4 ; Laymann, Lib. 1. Tract. 2. cap. ii. n. 10 ; Lacroix, Lib. v. n. 16 ; S. Alphonsus, Lib. 2. Tract. *de Peccatis*, cap. 1. n. 4.

[2] Vid. Laymann, ibid.

Res patet exemplo alicujus veritatis religionis quae v.g. meditantibus perpendenda proponitur.

19. Vix opus est animadvertere quosdam esse actus, seu, ut vocantur, *motus*, appetitus sensitivi, v.g. impulsus quosdam irae, desiderii vindictae, etc., etc., qui sine ullo imperio voluntatis aut intellectus deliberatione eliciuntur: hi *primo-primi* vocantur. Deinde *secundo-primi* vocantur motus qui oriuntur post deliberationem imperfectam. Motus denique *secundi* dicuntur ii qui ex voluntatis imperio, aut saltem voluntate, postquam rem satis apprehenderit intellectus, consentiente, excitantur.[1]

CAPUT I.

DE NOTIONE ACTUUM HUMANORUM.

20. **Definitio.** Actus *humanus*, sicut hanc vocem TT. communissime accipiunt, est *actus qui ab homine perficitur cum advertentia intellectus, consensu voluntatis, et libertatis exercitio.* Neque enim *humanus* dici solet quivis hominis actus, sed tantum actus qui homini *proprius* est, qui nempe perficitur ab homine *in quantum homo est* et differt a creaturis irrationalibus. Ita S. Thomas.[2]

21. Quae tamen distinctio ut rite intelligatur, animadvertendum est cum Suaresio[3] eam posse duobus sensibus intelligi; vel enim respicitur actuum *substantia*, vel *modus* quo perficiuntur.

22. Ratione *substantiae*, homini proprii sunt omnes actus facultatum earum quibus carent creaturae hominibus inferiores: neque enim potest hujusmodi actus censeri ullo modo communis hominibus cum brutis. Ejusmodi v.g. sunt actus intellectus, uti cogitatio, perceptio, judicium, ratiocinium.

---

[1] Vid. Sporer, Tract. 1. cap. vi. nn. 10-17.
[2] *Summa*, 1. 2. Quaest. 1. art. 1.
[3] *Tract. de Ultimo Fine Hominis*, Disp. 2. sect. ii. n. 7; Cf. Alasia, *De Act. Humanis*, Diss. 1. cap. i. n. 5.

23. Hic tamen inspiciunt TT. *modum* quo actus perficiuntur, potius quam eorundem substantiam. Specialem illum agendi modum quem loco citato intelligit S. Thomas, sic ipse ibidem declarat. "*Differt homo ab irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus.*" Quoniam igitur homo censeri nequit dominus nisi illorum actuum qui *libere* fiunt, qui nempe ex ipsius arbitrio pendent ut perficiantur aut omittantur, ideo humanus actus definitur *actus qui ab homine libere perficitur:* seu plenius, ut supra,[1] *actus qui ab homine perficitur cum advertentia intellectus, consensu voluntatis, et libertatis exercitio;* haec enim, ut infra videbimus, ad libere agendum requiruntur.[2]

24. Ideoque *humanus* dicitur actus quivis quem homo sic perficit, sive actus ille, quod attinet ad ejus *substantiam*, hominibus *proprius* est, ut in exemplis n. 22. traditis, sive est actus ea ratione *communis* hominibus et brutis, ut v.g. ambulare, manducare, etc., etc.

25. Hactenus de definitione humani actus, sicut TT. communissime cum S. Thoma hanc vocem intelligunt. Non desunt tamen qui sensu paullo latiore eam sumant, ad designandos actus omnes qui ab homine fiunt *quovis agendi modo hominibus proprio.* Quum igitur homo agat modo sibi proprio, sive libere sive necessario, dummodo *voluntarie*, agat, hoc sensu humanus actus definitur *actus qui a voluntate hominis procedit cum praevia intellectus advertentia.*[3] Communior tamen vocis acceptatio, n. 23. exposita, hic deinceps retinenda est.

26. Ex dictis patet actum *humanum* omnino distinguendum esse ab actu *hominis*, quo nomine aliquando designatur (*a*) quivis actus qui ab homine perficitur, aliquando (*b*) strictiore sensu designantur actus ii qui ab

---

[1] Vid. n. 20.
[2] Vid. n. 29.
[3] Ita v.g. Perin, Quaest. 2. art. ii. § 1. Cf. Suarez, *Tr. de Ultimo Fine Hominis*, Diss. 2. sect. ii. nn. 8, 9.

homine perficiuntur, aliter tamen quam speciali agendi modo hominibus proprio, n. 23. exposito; ejusmodi sunt actus infantium, dormientium, amentium, ebriorum, atque aliorum quorumcunque qui rationis usu saltem expedito carent; item indeliberati actus eorum qui rationis usu pollent.

27. **Divisio.** Actus humanus multipliciter distinguitur.

1°. *Elicitus* vel *imperatus*. *Elicitus* dicitur actus qui consummatur in ipsa voluntate, ut actus amoris, odii, desiderii. *Imperatus* dicitur actus qui imperante voluntate perficitur ab alia potentia, vel interna, ut actus cogitandi, vel externa, ut actus ambulandi.—Vid. supra, nn. 13-15. Prioris generis actus ideo *eliciti* dicuntur quia *eliciuntur* ab ipsa *voluntate:* actus alterius generis dicuntur *imperati*, quia *voluntas* eos, haud ipsa quidem elicit, *imperat* vero ab alia facultate, v.g. ab intellectu, elici.[1]

2°. *Internus* vel *externus*. Actus *internus* ille est qui tantum internis animae potentiis perficitur, qualis v.g. est actus cogitandi. Actus *externus* seu *mixtus* ille est quem voluntas non perficit nisi per corporis organa, qualis v.g. est actus ambulandi.—Actus *internus* specialius *actus* dicitur: actus *externus* dicitur potius *actio*.

3°. *Bonus*, *malus*, vel *indifferens*. Actus *bonus* seu *honestus* dicitur ille qui positive conformis est regulis morum, v.g. parentes honorare; *malus*, seu *inhonestus*, qui regulis iisdem repugnat, v.g. blasphemare; *indifferens* denique, qui regulis morum neque positive conformis est, neque tamen repugnat, v.g. ambulare. De hac divisione longior infra redibit sermo.[2]—Actus bonus aut indifferens dicitur etiam *licitus;* actus vero malus, *illicitus*.

---

[1] De hac divisione vid. S. Thom., *Summa*, 1. 2. Quaest. 17; Suarez, *Tract. de Voluntario*, Disp. 10.

[2] Vid. infra, cap. 3. art. 1. *De Essentia Moralitatis*, n. 368.

4°. *Naturalis* vel *supernaturalis.* *Prior* ille est qui solis naturae viribus perficitur ; *posterior* vero, qui perficitur auxilio gratiae divinae.

5°. *Validus* vel *invalidus.* Actus *validus* ille est cui insunt omnia quae ad proprium ejus effectum producendum sunt essentialia. *Invalidus* ille est qui vel uno ex iis caret. Sic validus est contractus, v.g. emptionis-venditionis, in quo reperiuntur omnia sive lege naturali sive lege positiva requisita ad proprium effectum hujus contractus perficiendum, id est, ad transferendum in emptorem dominium rei venditae. Secus invalidus est habendus.

CAPUT II.

DE ELEMENTIS ACTUUM HUMANORUM.

28. Tria recensentur actuum humanorum elementa: 1° *advertentia intellectus*, 2° *consensus voluntatis*, 3° *exercitium libertatis.* His enim tribus, ut ex definitione (n. 20.) patet, actus humanus constituitur.

29. Consensus *voluntatis* necessario supponit praeviam cognitionem *intellectus ;* nihil enim potest esse objectum voluntatis consensus nisi prius sit ope intellectus apprehensum. Hinc axioma : *Nihil volitum, nisi praecognitum.* Vid. supra, n. 7.—*Libertas* autem supponit utrumque. Est enim *facultas eligendi ;* electio autem fieri nequit nisi a *voluntate* seipsam movente in hanc vel illam partem, prius, ut dictum est, ab *intellectu* apprehensam.

30. Quatuor articulis hic agendum est, 1° de advertentia intellectus, 2° de voluntario, 3° de libero, 4°de iis quae voluntario et libero opponuntur.

ARTICULUS I.

DE ADVERTENTIA INTELLECTUS.

31. **Definitio.** *Advertentia* est *actus quo intellectus ad aliquid attendit.* Differt a *scientia*, quae quidem

habitualis est, ideoque potest intellectui inesse sine ulla rei cogitatione actuali ; advertentia vero cogitationem *actualem* denotat.

32. **Divisio.** Advertentia duobus modis distinguitur.

33. Dividitur 1° *subjective*, seu ratione ipsius actus, in *plenam* et *semiplenam*. *Plena* est cui nihil ex parte intellectus deest quominus actus advertendi perfecte eliciatur ; quando v. g. quis evigilans, sui compos, alio non distractus, ad rem attendit. *Semiplena* est cui aliquid deest ex parte intellectus quominus perfecte eliciatur actus advertendi, v.g. quando quis de re aliqua cogitat nondum plene e somno excitatus, haud sui compos, alio distractus, etc.

34. Dividitur 2° *objective*, seu ratione rei quae menti exhibetur, in *distinctam* et *confusam*. *Distincta* dicitur advertentia quum res clare apprehenditur ; *confusa*, quum res non apprehenditur nisi modo ambiguo et obscuro. Sic v.g. qui veneni poculum inimico praebet, praevidens fore ut ille veneno poto moriatur, *distincte* advertit ad effectum hujus actionis, mortem nempe alterius secuturam ; effectus vero advertentiam tantum *confusam* habet qui praebet venenum, incertus utrum lethale sit an non, adeo ut, etiamsi advertat ad *periculum mortis* secuturae, tamen nesciat utrum mors reipsa eventura sit, an aliud tantum malum morti inferius, ut v.g. infirma valetudo.

ARTICULUS II.

DE VOLUNTARIO.

§ 1. *De Definitione Voluntarii.*

35. **Definitio.** *Voluntarium* est *id quod provenit a voluntate cum praevia advertentia intellectus.*

36. Dicitur 1°, *id quod provenit a voluntate*, seu quod voluntate, ut causae ejus, tribui potest. Haec tamen prior definitionis clausula ab aliis TT. strictius, ab aliis

latius sumitur. Qui sensum strictiorem sequuntur, complectuntur tantum ea quae a voluntate proveniunt per influxum illius *positivum:* quae sunt (*a*) *actus*, sive ab ipsa voluntate eliciti, sive eliciti ab aliis facultatibus, voluntate imperante: ac (*b*) *effectus* ex ejusmodi actibus profluentes. Qui clausulam intelligunt sensu latiore, complectuntur insuper ea quae a voluntate ortum habent per influxum etiam *negativum:* quae sunt (*a*) *omissiones* eae quae, ut infra n. 61. exponetur, sine ullo voluntatis actu eveniunt, dum voluntas omnino passive se habet: ac (*b*) *effectus* ex ejusmodi omissionibus profluentes. Neque tamen ii qui hunc sensum, neque ii qui priorem, sequuntur, inter se consentiunt in sua sententia exponenda: quod enim attinet ad *effectus*, sive prioris sive alterius generis supra dicti, nonnulli TT. effectus hujusmodi omnes in utroque genere complectuntur, alii vero in utroque exigunt conditiones quasdam, quae si desint, effectus de quibus agitur excludi debeant e censu voluntarii.—Patet vero haec omnia, quae latius infra (nn. 92-100.) exponentur, respicere duntaxat usum vocabuli seu modum loquendi.

37. Dicitur 2°, *cum praevia intellectus advertentia:* quod satis ex dictis n. 7. intelligitur; nihil enim potest esse objectum consensus voluntatis, quod non sit prius ab intellectu apprehensum.

38. Eodem recidit clausula, "*cum cognitione singulorum in quibus est actio*," quam, loco illius n. 37. expositae, TT. haud pauci, Aristotelem secuti, hic adhibent. Quae ut intelligatur, notandum est plures aliquando posse humanae actionis partes secerni. Sic v.g. si Joannes, inter venandum, patrem suum sclopeto occidat, haec saltem quatuor possunt in actione illa secerni: (*a*) *glandem plumbeam* ex sclopeto *emitti;* (*b*) id fieri in *hominem* potiusquam in feram; (*c*) illud ita fieri ut *homo occidatur;* (*d*) hominem illum esse *patrem* Joannis. Haec quidem

quatuor constituunt scelus *parricidii;* neque vero potest istud scelus Joanni ut voluntarium tribui nisi aliquo modo ad ea omnia adverterit. Sic fieri potest 1° ut, sine ulla omnino suspicione hominis inibi jacentis, existimet se glandem in *feram* mittere; aut 2°, perspiciens esse *hominem*, glandem mittat eo animo ut eum tantum *vulneret*, minime suspicans adesse periculum occidendi; aut 3° denique, glandem ideo mittat ut *occidat hominem*, quem tamen nullo modo suspicetur suum esse patrem. Itaque in 1° casu voluntarius est actus ut occisio aut vulneratio ferae; in 2°, ut vulneratio hominis; in 3°, ut homicidium. Et ideo, ut jam dictum est, voluntarium censeri non potest *parricidium*, nisi aliqua insuper adfuerit advertentia illius quarti actionis elementi supra recensiti.

39. Ex dictis patet *voluntarium* differre 1° a *volito;* 2° a *spontaneo.*

40. Differt 1° a *volito*, quod est objectum cujusvis actus voluntatis, sive *efficacis* sive *inefficacis: voluntarium* vero est objectum tantum voluntatis *efficacis.* Porro *efficax* hic dicitur voluntas seu voluntatis actus qui versatur circa objectum quod insuper ex eo profluit; secus dicitur *inefficax.* Sic v.g. in agricola tempus serenum dicitur *volitum*, non autem *voluntarium:* in Deo autem, cujus omnipotenti voluntati, ut causae ejus, beneficium illud tribuendum est, non solum *volitum* sed et *voluntarium* dici debet.

41. Differt 2° a *spontaneo.* Nam *spontaneum* dicitur id omne quod provenit a quavis facultate intrinseca, v.g. ab appetitu sensitivo; ideoque etiam brutis tribuitur.

42. **Resolves.**—1°. Ubi nulla est advertentia praecepti, vel eorum actionis elementorum quae efficiunt ut actio, alioquin licita, illicita fiat, voluntaria non est *transgressio praecepti*, et ideo non potest actio agenti *in culpam* imputari; exemplum est in eo qui die jejunii, hujus

tamen circumstantiae omnino immemor, carnes manducat.—Non defuerunt tamen TT., praesertim inter Gallos, qui negarent ad peccatum requiri advertentiam eam quam n. 31. definivimus, quamque ii *actualem* vocabant, docentes ad peccatum sufficere advertentiam, quam vocabant, *virtualem* seu *interpretativam*, quae in eo consisteret quod agens etsi reipsa *non adverteret*, tamen *advertere posset ac deberet.* In eam sententiam adducti sunt praesertim ex eo quod censebant alioquin immunes a culpa reputandos fore homines eos scelestissimos qui, passionibus atque pravis consuetudinibus obcaecati, peccata plurima, eaque gravissima, quotidie patrarent, ad eorundem inhonestatem minime advertentes. Quid vero reipsa sentiendum sit de istiusmodi peccatoribus, infra[1] videbimus.

2°. Ubi *semiplena* tantum est *advertentia*, quod v.g. in semisopitis evenit, ibi est actus tantum *semivoluntarius.* Porro ejusmodi actus, nunquam, ne in gravis quidem praecepti transgressione, peccatum excedit veniale: etenim, spectata fragilitate humana, omnino, ut patet, a Dei bonitate alienum est aeternis poenis addicere eum qui vel grave praeceptum violaverit sine plena intellectus deliberatione.[2]

3° Idem dicendum est de *imperfecto consensu voluntatis.*[3]

§ 2. *De Involuntario.*

43. **Definitio.** *Involuntarium*, si vox minus stricte sumitur, est *illud omne quod non est voluntarium.* Jamvero *non-voluntarium*, et ideo *involuntarium* hoc sensu minus stricto sumptum, intelligi potest duobus modis, aut *negative* aut *privative.* Si *negative* intelligitur, significat tantum *absentiam* voluntarii: sic potest involuntarium

---

[1] Vid. infra, nn. 104-110; et n. 192. Resolv. 1°, 6°—10°.
[2] Vid. Sporer, Tract. I. cap. v. n. 12.
[3] Id. ibid.

tribui rebus inanimatis; v.g. motus lapidis in terram cadentis potest hoc sensu involuntarius dici; haec autem significatio vocis, ut ait Suaresius,[1] est valde impropria et inusitata. Si *privative* intelligitur, significat *absentiam* voluntarii *in subjecto voluntarii capaci*, v.g. in homine.

44. At ne hoc quidem, nisi aliquid aliud addatur, potest proprie *involuntarium* censeri; namque, ut animadvertit Alasia,[2] latum intercedit discrimen inter *non voluntarium* et *involuntarium;* etenim *non voluntarium* est *id omne quod voluntas non vult*, etsi tamen *non adversatur* voluntati; *involuntarium* vero proprie significat *id quod voluntati adversatur.* Hoc sensu *involuntarium* dicitur non tantum *privative*, sed et *positive*, seu *contrarie*, sumi.

45. **Divisio.** Involuntarium, hoc sensu strictiore sumptum, adhuc duplex distinguitur, involuntarium *simpliciter* et *secundum quid.*

46. Involuntarium *simpliciter* illud est quod *omnino* adversatur voluntatis determinationi, sive actuali sive interpretativae, adeo nempe ut voluntas reipsa eliciat contrarium actum, aut saltem eliceret si hic et nunc agendum esset. Exemplum est in eo quem totis viribus reluctantem latrones exspoliant: item in eo cujus crumena, ipso plane inscio, surripitur. Prius, ut patet, adversatur *actuali* voluntatis determinationi: alterum adversatur voluntatis determinationi tantum *interpretativae;* neque enim voluntas hic contrarium actum reipsa elicit, eliceret autem, si adesset rei advertentia.

47. Involuntarium *secundum quid* est illud quod voluntati repugnat *aliqua ex parte*, sed non totaliter, adeo ut voluntas reipsa illud amplectatur, non tamen sine quadam renitentia. Sic v.g. actus mercatoris qui, tempestate

---

[1] *Tr. de Voluntario*, Disp. 2. sect. i. n. 1.
[2] *De Act. Humanis*, Diss. 1. cap. iii. n. 2.

exorta, suas merces in mare projicit ad vitam conservandam reipsa voluntarius est, et ideo non potest dici *simpliciter involuntarius:* quoniam vero simul adest inclinatio animi inefficax, qua vellet suas merces conservare si id posset sine periculo naufragii fieri, ideo voluntarius actus projiciendi simul dicitur *involuntarius secundum quid.* Item res illustratur exemplo apostatae qui, tyranni tormentis cedens, fidem Christi denegat, ita tamen animo affectus ut multo libentius fidem profiteretur, et ideo non denegat eam nisi ad vitam conservandam. Contrariam hujusmodi animi inclinationem solent TT. *velleitatem* vocare; ejusmodi enim est ut agens, in aliis rerum adjunctis constitutus, contrarium *vellet,* etsi, in iis quae adsunt, illud non vult. Sic v.g. secluso periculo praedicto, mercator suas merces conservare vellet, atque apostata ille fidem Christi profiteri.

§ 3. *De Divisione Voluntarii.*

48. **Divisio.** Voluntarium pluribus modis distinguitur.

49. Est 1° *elicitum* vel *imperatum:* quod satis intelligitur ex antea (n. 27.) dictis.

50. Est 2° *liberum* vel *necessarium.* Dicitur *liberum* quum voluntas ita constituitur ut, positis etiam omnibus ad agendum requisitis, vel agere possit vel non agere: secus dicendum est *necessarium.* Vid. supra (nn. 9-12.) exposita.[1]

51. Est. 3° *purum* vel *mixtum.* Voluntarium *purum* seu *plenum* illud dicitur quod nullam secum conjunctam habet renitentiam seu inclinationem in contrarium: exemplum v.g. est in eo qui donum gratissimum ab amico oblatum animo omnino prompto accipit. Voluntarium *mixtum* seu *non plenum* est illud quod renitentiam

---

[1] Cf. Tongiorgi, Lib. iii. n. 514.

aliquam, seu inclinationem in contrarium, secum conjunctam habet: exempla duo n. 47. tradita sunt.

52. Est 4° *perfectum* vel *imperfectum.* His vocibus TT. fere omnes in Tr. de Peccatis utuntur, voluntarium *perfectum* recensentes inter ea quae ad mortale peccatum requiruntur: maximi igitur interest earundem sensum hic plane exhibere, idque eo magis quod non desunt TT. qui voces easdem in aliis Tractatibus alio sensu adhibere soleant.

53. Triplex igitur hic distinguendus TT. loquendi modus. *Primus* est eorum quibus haec divisio idem sonat ac divisio voluntarii *liberi* et *necessarii* n. 50. tradita. Ita Vasquesius,[1] Sporer,[2] etc. Cui tamen vocum acceptationi id merito opponi solet quod tantum abest ut *necessarium* voluntarium debeat aliquo modo *imperfectum* censeri, ut contra nihil obstet quominus perfectissima ratio voluntarii in eo inveniatur: sic v.g. quum Beati in coelis necessario Deum diligunt, perfectissima iis inest objecti cognitio, atque intensissima propensio voluntatis secundum totum suum conatum in objectum tendentis; porro his duobus (n. 35.) voluntarium constituitur.

54. *Secundo* sumitur haec divisio eodem sensu ac divisio, n. 51. tradita, voluntarii *puri* et *mixti.*[3] Nec quidquam obstat quominus voluntarium purum dicatur *perfectum*, atque mixtum *imperfectum*, dummodo in memoria habeatur hunc sensum verborum omnino differre ab eo quem intelligunt TT. *perfectum* voluntarium exigentes ad peccatum mortale constituendum: neque enim quisquam negat mortale peccatum patrari posse quum adsit voluntarium tantum *mixtum*, et ideo hoc

---

[1] *In* 1. 2. *S. Thomae*, Disp. xxiii. cap. 4.
[2] Tract. 1. cap. ii. nn. 16, 17.
[3] Ita v.g. Bailly, *Tr. de Act. Hum.*, cap. 2., et Crolly, *De Justitia et Jure*, Vol. ii. n. 120.

sensu *imperfectum;* res patet ex exemplo apostatae n. 47. tradito.

55. *Tertia* denique, eaque communissima, exponenda est harum vocum acceptatio. Tum igitur in Tractatu de Peccatis, tum in aliis Theologiae Moralis tractatibus, TT. communius solent *perfectum* voluntarium vocare illud quod provenit ex plena intellectus advertentia, atque ex pleno consensu voluntatis; *imperfectum* vero illud, cui alterutrum ex iis duobus deest.[1] Voluntarium hoc sensu *imperfectum* potest plures gradus habere, prout magis minusve a voluntario *perfecto* recedit.[2]

56. Dividitur 5° in voluntarium *simpliciter* et *secundum quid.* Quae quidem divisio non solum a diversis TT., sed etiam ab iisdem, aliquando sumitur duobus sensibus omnino diversis: neque igitur mirum est magnam inde ortam esse confusionem: quae ut praecaveatur, hae duae acceptationes sigillatim hic tradendae sunt.

57. Aliquando igitur haec divisio ita sumitur ut non differat a divisione, n. 51. tradita, voluntarii *puri* et *mixti.* Ita satis communiter TT. in divisionibus voluntarii exponendis.[3]

58. Plerumque vero, et ab iisdem quidem ipsis auctoribus,[4] *simpliciter* voluntarium dicitur id quod *reipsa voluntarium* est, sive adest sive non adest renitentia seu inclinatio in contrarium, seu, aliis verbis, sive voluntarium *purum* sive *mixtum* est. Deinde locutio *voluntarium secundum quid* adhibetur ad designandam inefficacem illam animi inclinationem quae aliquando adest dum voluntas in contrarium efficaciter agit. Sicut

---

[1] Vid. Sporer, Tr. 1. cap. v. n. 12.

[2] Vid. Gury (Ed. Rom.), Part. i. n. 5, *nota* (a); ac supra, n. 42. Resolv. 2°, 3°.

[3] Vid. v.g. S. Alph., Lib. 2. art. ii. n. 9.; Gury, Part. i. n. 5, (2°); Alasia, Diss. 1. cap. ii. n. 6; Struggl, *Theol. Moralis*, Tract. 1. quaest. 1. n. 18; Carriere, *De Contractibus*, n. 47.

[4] Vid. v.g. S. Alph., ibid. n, 21; Gury, ibid. n. 18. Princip. II; Alasia, ibid. cap. iii. art. ii. n. 6; Struggl, ibid. n. 48. Et vid. infra, n. 338.

igitur *involuntarium secundum quid* (n. 47.) non invenitur nisi conjunctum cum iis quae sunt *simpliciter* seu reipsa *voluntaria*, ita nec *voluntarium secundum quid* invenitur nisi conjunctum cum iis quae sunt *simpliciter involuntaria*. Sic. v.g. in exemplo mercatoris n. 47. tradito, projectio mercium dicitur *voluntaria simpliciter* atque *involuntaria secundum quid:* e contrario vero quod quis die festo vi detinetur, adeo ut nequeat ecclesiam ad Missam audiendam adire, est *simpliciter* ei *involuntarium* at simul *voluntarium secundum quid*, si est animo ita affectus ut etiamsi certe velit liberari, tamen haud omnino aegre ferat exortum esse ejusmodi impedimentum quo excusetur a praecepto adimplendo.

59. Est 6° voluntarium *in se* vel *in causa*. *Prius* est illud quod objectum est voluntatis expresso actu id volentis : v.g. mors inimici *in se* voluntaria est in eo qui inimicum deliberate occidit ; hoc insuper dici solet voluntarium *explicitum*, *formale*, *expressum*, et a quibusdam TT., *directum*.[1] Voluntarium *in causa* (quod insuper *implicitum*, seu *in alio*, et, a quibusdam *indirectum* dicitur) illud est quod, etiamsi non est in se volitum, tamen ita ex aliquo alio sic volito profluit, aut cum eo connectitur, ut, secundum morale hominum judicium, is qui illud velit, eo ipso et hoc velle censeatur. Sic v.g. in eo qui tegulas in viam publicam e tecto dejiciat, postquam ad periculum transeuntium satis adverterit, voluntarium censetur damnum sic iis illatum : voluntarium quidem *in se*, si ita egerit expresso voluntatis actu intendens illud damnum inferre ; voluntarium autem *in causa*, si egerit v.g. ex sola animi incuria, perspiciens quidem periculum damni sic inferendi, haud tamen expresso voluntatis actu intendens illud inferre.—De

[1] De his vocibus cf. Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. i. art. 1 ; Struggl, ibid. n. 22 ; Sporer, Tract. i. cap. ii. n. 23. De alio tamen hujus vocis sensu, vid. n. 60.

conditionibus ad voluntarium *in causa* requisitis, infra[1] agendum erit.

60. Est 7° *positivum* vel *negativum;* seu, ut ait S. Thomas,[2] *directum* vel *indirectum.* Voluntarium *positivum*, seu *directum*, illud est quod provenit a voluntate *quatenus voluntas agit;* v.g. quivis actus voluntarius, sive elicitus, sive imperatus. Voluntarium *negativum*, seu *indirectum*, dicitur illud quod provenit a voluntate eo quod *voluntas non agit;* sic v.g., ait S. Thomas,[3] submersio navis dicitur esse a gubernatore in quantum ille desistit a gubernando.

61. Neque tamen ita solent TT. hanc divisionem exponere, ut quaevis voluntaria omissio censeatur *negative* seu *indirecte* voluntaria. Quod ut intelligatur, notandum est omissionem voluntariam posse multiplici modo fieri. *Primo*, si quis expresse nolit illud de quo agatur, v.g. Missam audire; aut, quod idem est, si expresse. velit illud omittere. *Secundo*, si non quidem expresse velit rem omittere, velit tamen aliquid aliud agere quod cum illa incompossibile est, v.g. in exemplo jam tradito, domi manere, in hospitio bibere, etc. *Tertio*, si positive se determinet ad nullum eliciendum hujusmodi actum sive volitionis sive nolitionis. Quibus *quarto* communior sententia alium subjungit modum, quem vocant omissionem *puram*, quum scil. voluntas, postquam intellectus ad aliquid faciendum satis advertit, illud facere praetermittit, neque tamen (*a*) illud nolendo, neque (*b*) volendo aliquid cum eo incompossibile, neque (*c*) positive statuendo hic et nunc abstinendum esse ab omni hujusmodi actu, sed tantum (*d*) *omnino passive se habendo*, velut potentia mortua, *nullo modo se determinando* vel ad agendum vel ad non agendum.[4]

---

[1] Vid. infra, nn. 92–100. [2] *Summa*, 1. 2. Quaest. vi. art. 3. [3] Ibid.
[4] Vid. Suarez, *Tr. de Voluntario*, Disp. 1. sect. v.; *Metaphys.*, Disp. 19. sect. iv. n. 8; Struggl, *Theol. Dogm.*, Part. 1. Tract. iv. Disp. 3. Quaest. ii. art. 2; Gonet, Part. 2. Tract. 5. Disp. iii. art. 2; Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 1. art. 3.

62. Jam vero *primum* ex his quatuor, secundum omnes, pertinet ad voluntarium *positivum:* circa reliqua autem alii aliter loquuntur. Sunt qui ea omnia revocent ad voluntarium *negativum*. Alii vero *negativum* voluntarium vocant solam omissionem *puram*, quae, ut quarto loco n. 61. expositum est, fit sine ullo voluntatis actu; omissiones igitur quae fiunt secundo aut tertio modo exposito, TT. ii revocant ad voluntarium *positivum*. Qui modus loquendi profecto anteponendus videtur, neque enim omissiones eae fiunt sine positivo quodam actu voluntatis, qui earundem causa est vel saltem occasio.

63. Num vero (*a*) reipsa possit fieri omissio (n. 61.) *pura*, item (*b*) num, si fiat, *voluntaria* censeri debeat, sunt quaestiones acerrime inter TT. agitatae: quas tamen hic omnino praetermittimus, quippe quae minime ad usum spectent.[1]

64. Voluntarium est 8° *expressum* vel *tacitum;* quae tamen divisio non respicit voluntarium ipsum, sed tantum modum quo exterius manifestatur. Dicitur *expressum*, si manifestatur verbis, aut aliis signis, ut v.g. nutu, gestu, etc., quae verbis, ex instituto vel ex usu hominum, aequivalent. Dicitur *tacitum*, si, neque verbis neque aliis hujusmodi signis manifestatum, ex aliis tamen adjunctis inferri potest; sic v.g. haud raro licet assensum alicujus inferre ex eo quod, re ipsi proposita, sileat quum facile posset, si vellet, dissensum suum loquendo significare.

65. Neque tamen silentium ex sese aequivalet consensui: quod satis declarat regula juris canonici 44ª:—*Qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.* Neque igitur altera illa juris regula 43ª:—*Qui tacet, consentire videtur*, locum habet nisi adsint adjuncta specialia ex quibus silentium vim habeat consensum significandi.

---

[1] Vid. si libet, Suarez, Struggl, Gonet, et Billuart, loc. cit.; et vid. infra n. 192, Resolv. 10°, *nota*.

66. Horum praecipua sic exhibent AA. *Primum.* Tacens consentire censetur si agatur de ejus favore aut commodo: non autem si agatur de ejus incommodo seu praejudicio. Itaque si aliquo tibi promittente, donante, etc., non contradicas, censeris acceptare: item si aliquis pro te praesente nec contradicente fidejubeat, censeris ratum habere. Si quis vero cupiat rem sibi ab altero donari, aliter dicendum est; et ideo v.g. si quis velit puellam ad matrimonium contrahendum obligare, illa, si taceat, non ideo censetur consensum praebere, quum agatur de ejus obligatione. *Secundo.* Tacens consentire censetur si consentire nolens teneatur negare vel contradicere: non item si respondere aut contradicere non teneatur. Ita, sedens in concilio, capitulo, etc., si iniquae constitutioni, aut electioni non reclamet, ubi utiliter id fieri possit, in eam consentire judicatur. *Tertio.* Princeps vel Praelatus, sciens rem fieri et silens, consentire judicatur, si contradicendo possit id quod fit impedire sine periculo scandali aut alius hujusmodi mali: secus vero si sine hujusmodi incommodo illud impedire non possit. Sic Praelatus sciens fieri aliquid contra leges, aut aliquid quod sine licentia ejus fieri non debeat, si taceat et toleret, quum commode contradicere possit, censetur tacite consentire vel licentiam dare: ejusque licentiam, consensum, ratihabitionem, subditus praesumere potest. Ita Laymann,[1] Sporer,[2] et alii AA. communiter.

67. Voluntarium est 9° *actuale, virtuale,* vel *habituale:* quae divisio, praesertim quum agitur de intentione requisita in sacramentis conferendis aut suscipiendis, maximi momenti est; eodem enim sensu sumuntur voces, *intentio* actualis, virtualis, etc., in Tractatu de Sacramentis adhibitae, ac voces *voluntarium* actuale, virtuale, etc., quas hic exponere suscipimus.

---

[1] Lib. I. tract. 2. cap. iii. n. 3. [2] Tract. I. cap. II. n. 27.

68. Itaque voluntarium *actuale* est illud quod a voluntate hic et nunc elicitur aut imperatur ; v.g. quum sacerdos sacramenta collaturus sic intentionem suam efformat : Volo baptizare, etc. *Virtuale* dicitur id quod provenit ex voluntatis actu antea elicito, nec unquam revocato, atque adhuc in sua virtute permanente ; quod quidem adesse censetur in eo qui, quum capax est operandi modo humano, aliquid ita agit vi voluntatis praeteritae ; sic v.g. si sacerdos postquam intentionem suam efformavit, deinde virtute illius actus e domo egreditur, ad ecclesiam pergit, sacris vestibus se induit, ac ritum deinde baptizandi perficit, baptismus sic collatus *virtualiter* ei voluntarius est, etsi diu cessavit *actus* intentionis prius elicitae, neque cogitavit sacerdos de alio hujusmodi actu eliciendo, neque ullo modo intentionis prius elicitae recordatur. Res item illustratur exemplo alicujus iter perficientis virtute intentionis perveniendi ad terminum itineris, v.g. Romam, ab incepto itinere elicitae ; item agricolae qui opus quotidianum peragit virtute intentionis mane elicitae sic sibi suisque de vitae necessariis providendi. *Habituale* denique dicitur voluntarium quod prius quidem actuale fuit, nec unquam fuit revocatum, neque tamen, sensu exposito, in activa sua virtute permanet. Sic v.g. in eo qui, post actualem elicitam intentionem cujusdam orationis recitandae, in somnum incidat, atque dormiens deinde proferat verborum formulam, *habitualis* esse dicitur voluntas orandi. Haud raro tamen TT., praesertim veteres, intentionem *habitualem* pro *virtuali* sumunt.[1]

69. Ex his patet, ad voluntarium sive *virtuale* sive etiam *habituale*, requiri haec duo : ut 1° praecesserit voluntarium actuale, quod 2° non fuerit revocatum. His duobus constituitur voluntarium *habituale*. Ad volun-

---

[1] De voluntario praesertim *habituali*, vid. Haine, *Principia Theol. Sacramentalis*, cap. v. dub. 8. Cf. Lacroix, Lib. iv. n. 1324.

tarium autem *virtuale* insuper requiritur 3° ut agens, dum actum perficit, in ea sit animi dispositione ut suae actiones arbitrio ejus subjaceant; secus enim omnino erit incapax agendi modo humano (n. 23.): ideoque *virtualiter* voluntaria censeri non possunt ea quae ab ebriis, amentibus, aut dormientibus fiunt.[1] Denique 4° *ad virtuale* voluntarium requiritur ut id de quo agatur fiat *vi* seu *virtute* voluntatis actus prius eliciti.

70. Hic quaedam dicenda sunt de quaestione, quae, ut notat A. Mayr,[2] potius philosophica quam theologica est: in quonam sita sit illa *vis* seu *virtus* in qua voluntarium prius elicitum permaneat postquam actus voluntatis jam cessaverit.

71. De hac quaestione quatuor praecipuae distingui possunt sententiae.

72. *Prima* est sententia Suaresii[3] et aliorum, qui docent voluntarium virtuale in eo situm esse quod quum agens, v.g. minister sacramenti, per actum voluntatis jam applicuit exteriores potentias ad actionem, v.g. administrandi sacramenti, deinde, quamvis cessaverit voluntatis actus, tamen per aliquod tempus perdurat motus sic potentiis exterioribus impressus. Sicut v.g., ut rem illustrat Arriaga,[4] quando quis intendit aliquem ferire lapide, et ideo lapidem in eum conjicit, impulsus quem sic lapidi imprimit dein per aliquot instantia durat (dum interim voluntatis actus projiciendi, utpote instantaneus, jam physice desiit), atque etiam novum impulsum producit in capite illius, in quem impingit; in hoc casu impulsus novus, et laesio in capite, plane sunt effectus primae intentionis lapidem mittendi, quae

---

[1] Vid. Sporer, Tract. 1. cap. ii. n. 21; Laymann, Lib. 1. Tract. 2. cap. iii. n. 4.
[2] *Theol. Scholast.*, Tract. 10, Disp. i. n. 107.
[3] *Tract. de Sacram. in Genere*, Disp. 13. sect. iii. n. 6.
[4] Apud A. Mayr, *Theol. Scholast.*, Tract. 10. Disp. i. n. 107

tamen intentio jam non existit quum effectus ii producuntur.[1]

73. Huic tamen sententiae, et quidem, ut videtur, merito, objici solet, quod actiones quae, v.g. in Missa celebranda aut in sacramentis administrandis, ex voluntario virtuali fiunt, nimis disparatae sunt ut censeri possint fieri vi motionis antea potentiis impressae; neque ullam inter se connexionem physicam habent, sicut habent partes motus lapidis, atque vulnus quod lapide conjecto infligitur: "nunc stare, nunc genuflectere, nunc extendere nunc jungere manus, nunc alte nunc submisse orare, nunc huc nunc illuc ire, nunc calicem tegere nunc detegere, nunc hostiam elevare nunc frangere, etc., sunt actiones nimis dissimiles; neque possunt potentiae externae . . eas sine nova determinatione ita ordinate producere."[2]

74. *Secunda* igitur sententia, praeter priorem voluntatis actum, atque influxum potentiis exterioribus ab eo impressum, insuper, quot sunt singulae actiones, saltem disparatae, ut in exemplis n. 73. traditis, tot exigit praesentes actus, sin minus voluntatis, saltem appetitus sensitivi. Hanc sententiam propugnant v.g. Haunoldus[3] et A. Mayr.[4]

75. Deinde in *tertia* sententia, quam tradit De Lugo,[5] *virtus* de qua agitur "nihil aliud est quam *voluntas confusa, et tenuis*, qua nunc volumus v.g. verborum prolationem, referendo illam confuse ad finem prioris voluntatis, quod, quia confuse et imperceptibiliter fit, vix ullam exigit attentionem, nec possumus illius rationem reddere sicut nec musicus peritus experitur actuale

---

[1] Ita Arriaga, apud A. Mayr, *Theol. Scholast.*, Tract. 10 Disp. i. n. 107.
[2] A. Mayr, *Theol. Scholastica*, Tract. x. n. 108. Vid. etiam Haunoldus, *Theol. Speculativa*, Lib. 4. Tract. ii. n. 686.
[3] Ibid. nn. 689. et seq.
[4] Ibid.
[5] *Tract. de Sacr. in Genere*, Disp. 8. sect. v. nn. 75-89; *Tract. de Poenitentia*, Disp. 7. sect. iv. n. 40.

dictamen artis, et voluntatem qua pulsat citharam distractus ad fabulas vel negotia, licet revera habeat etiam tunc aliquam tenuem advertentiam actualem, et voluntatem etiam actualem movendi taliter digitos."[1]

76. Atque Suaresius, etsi, ut supra vidimus, praesentem hujusmodi influxum non exigit ut necessarium ad voluntarium virtuale, tamen agnoscit eum haud raro in actionibus virtualiter voluntariis inveniri. Porro quoties adest hujusmodi voluntatis influxus, "consequenter," ait,[2] "necessaria etiam erit aliqua actualis attentio, saltem ad ipsam actionem externam quae exercetur. Quod si dicas, nos non experiri hujusmodi attentionem et actualem voluntatem, respondetur, illam attentionem esse valde debilem et remissam, et *non includere reflexionem, qua advertamus nos attendere aut velle;* et ideo, licet revera sit, . . nos tamen illam in se nec experimur quamdiu durat, nec, postquam transacta est, recordari aut dijudicari possumus an illam habuerimus."

77. Neque tamen haec tertia sententia tenenda videtur; nam, "etsi," ut ait Suaresius,[3] "est satis probabilis, et saepe fortasse ita accidit," tamen, ut ibidem subjungit, "nihil est quod convincat hoc esse necessarium. Unde S. Thomas hic [in 3 part. Quaest. 64. art. viii. ad. 3] manifestum supponit posse fieri actionem externam ex virtuali intentione praecedente, sine ulla actuali attentione. Item experientia hujus rei videtur esse adeo clara, ut non videatur neganda sine evidente ratione. Quis enim dicat, quamdiu homo ambulat ex vi prioris intentionis seu applicationis, semper actu cogitare de ipsa ambulatione, praesertim quum inter ambulandum alias res attentissime meditatur, aut alia negotia tractat?"

---

[1] *Tract. de Poenitentia*, Disp. 7, sect. iv. n. 40.
[2] *Tract. de Sacr. in Genere*, Disp. 13. sect. iii. n. 5.
[3] Ibid.

78. Atque insuper, ut argumentatur Mastrius,[1] si vera esset ea sententia Lugonis, jam cessaret quaestio de intentione virtuali ; immo haec esset impossibilis, quia semper adesset aliqua *actualis* intentio, quamvis tenuis et confusa.

79. *Quarta* denique est sententia Mastrii, qui, agnoscens quidem requiri praesentes actus voluntatis, dum actiones externae perficiuntur virtute actualis voluntarii prioris, negat tamen requiri novam aut continuatam cognitionem intellectus, adeo quidem ut minime inferri liceat hos actus voluntatis non elici, ex eo quod agens ad eos non advertat. Quomodo autem censeri possit fieri ut voluntas sic toties agat sine actibus intellectus repetitis, sic Mastrius, Doctorem suum Scotum secutus, exponit. "Dicendum est voluntatem habere ordinate suas volitiones in ordine ad finem, primo intentionem finis, postea electionem mediorum, tandem usum et executionem per media ordinata quando plura sunt ; quibus correspondent actus potentiarum inferiorum [v.g. externarum] cum eodem ordine : potest ergo distrahi voluntas ab actuali volitione finis, sed perseverare volitio respectu aliorum hic et nunc, cum praescripto ordine, et sic finis intentio *virtute* continuatur in volitionibus subordinatis ad quas sequuntur actus imperati aliarum potentiarum . . . Voluntas, supposita notitia prius habita, deinde exsequitur objecta ordinate volita, . . absque alia nova vel continuata intellectus cognitione."[2] Eandem sententiam amplectitur Struggl.[3]

80. Sed haec satis de quaestione speculativa. Quod ad usum attinet, potius inquirenda est regula, si quae sit, cujus ope dignosci possit quandonam, et quamdiu, in singulis qui oriuntur casibus, voluntarium prius elicitum

---

[1] *Disp. Theol.* De Sacram. in Genere, Disp. 1. quaest. vii. n. 280.
[2] Mastrius, ibid.
[3] *Theol. Universa,* Part. 2. tract. x. disp. ii. quaest. 1. art. iii. n. 1

reipsa virtute sic perseveretadeo ut ea quae deinde fiant virtualiter voluntaria censeri possint.

81. Jamvero TT., quantumvis, ut jam vidimus, inter se dissentiunt in exponenda hujus virtutis natura, tamen omnino, ut videtur, consentiunt de regula hic tradenda. Ex communi igitur TT. sententia statuendum est voluntarium seu intentionem prius elicitam tamdiu influere, quamdiu agens, sui compos, et humano modo operans, etsi nihil de intentione priore cogitet, tamen sit in ea animi dispositione ut reflectens supra se, vel interrogatus, quid aut quare agat, statim alleget suam priorem intentionem et respondeat, "Hoc facio propter illud."[1] Rem illustrant exempla n. 68. tradita.

82. Non tamen censendum est voluntatis actum, etsi diu sic virtute perseveret, (*a*) in omnia agentis opera influere, neque (*b*) in ea omnia quae fiant deliberate, sed tantum (*c*) in ea quae ejusmodi sint ut possint referri in finem quem agens priore sua intentione actuali assequendum sibi proposuerit. Sic v.g. quamvis intentio adeundi Romam virtute permanet in eo qui viam ideo agressus est, adeo ut totum iter possit virtute hujus intentionis perfici, tamen si ob aliquam rationem a via deflectat, v.g. ut aliam urbem invisat, id sane non fit virtute intentionis Romam adeundi, omnino autem praeter illam.[2] Res insuper illustrari potest aliis exemplis supra (n. 68) traditis.

83. Quaedam denique notanda sunt de voluntario *interpretativo*, quod a TT. quibusdam hic apponitur ut quartum membrum divisionis n. 67. traditae. *Interpretativum* igitur ii intelligunt voluntarium quod quis reipsa non habet, neque actu, neque virtute, neque habitu, prudenter tamen praesumitur habiturus si cognosceret rem de qua agitur, aut si de ea cogitaret: sic v.g. religiosus

---

[1] Vid. Billuart, *Tr. de Ultimo Fine*, Diss. i. art. 5.
[2] Vid. Billuart. *Ibid.*

aliquando, urgente necessitate, rationabiliter agit ex consensu interpretativo superioris absentis, quem ex aliis ejus actibus prudenter praesumit, si adesset, ac de ea re interrogaretur, licentiam omnino concessurum.[1]

84. Voluntarium alio sensu *interpretativum* hic quoque recensent quidam TT. distinguentes inter interpretativum *conditionatum* et *absolutum*.[2] Interpretativum *conditionatum* intelligunt illud quod n. 83. expositum est: *conditionatum* dicitur quia in eo consistit quod praesumitur voluntarium, non quidem reipsa *adesse*, sed tantum *adfore* si conditio quaedam adimpleretur. Voluntarium vero quod praesumitur *reipsa adesse*, interpretativum dicunt *absolutum;* exemplum est in eo qui praesumitur consentire, eo quod non contradicit. Itaque voluntarium *interpretativum absolutum* non differt a voluntario *tacito*, supra (n. 64.) exposito.

85. Denique sunt TT. qui solum *conditionatum* illud interpretativum, n. 83. expositum, *interpretativum* vocant; atque *absolutum* interpretativum, n. 84. expositum, vocant potius *praesumptum*.[3]

86. Attamen non est cur alterutra vox *interpretativum* aut *praesumptum*, adhibeatur ad unum potius quam alterum ex iis duobus designandum; utraque enim vox utrique ex iis, ut ex dictis colligi potest, suo modo convenit. Ideoque voces potius sic adhibendae videntur: primo sit sermo de voluntario *interpretativo* seu *praesumpto;* deinde voluntarium illud, sive *interpretativum* sive *praesumptum* dicatur, distinguatur in *absolutum* et *conditionatum;* quorum prius n. 84., alterum vero n. 83., expositum designet.

---

[1] De hac re vid. v.g. Suarez, *De Religione*, Tract. 7. lib. viii. cap. 11. (Ed. Vives, Tom. 15.); De Lugo, *Tract. de Justitia et Jure*, Disp. 3. sect. 7; Disp. 21. sect. iv. n. 56; Sanchez, *In Decal.*, lib. 7. cap. 19; Gormaz, *Tract. de Act. Humanis*, Disp. 6. sect. 2.

[2] Ita v.g. Reiffenstuel, *Theol. Moralis*, Tract. 1. dist. i. n. 8.

[3] Ita v.g. Struggl, *Theol. Moralis*, Tract. 1. quaest. i. n. 20.

87. **Resolves.**—1° In eodem actu haberi potest voluntarium *in se*, voluntarium *in causa*, atque *involuntarium* tum *privative* sumptum tum *positive* seu *contrarie*. Exemplum: Titius inimicum suum Caium aggreditur cum periculo laedendi etiam Paulum, Caii socium, quem cernit illum comitantem; glande, praeter utrumque, ferit Martinum ac Sempronium quos ibi esse neque videt neque suspicari potest. Sic Caius percutitur ex voluntario *in se;* Paulus, ex voluntario *in causa;* Martinus et Sempronius, sine ullo voluntario: quod si Titius est animo ita affectus ut unum ex iis, v.g. Martinum, haud aegre percuteret si cognosceret eum adesse, alterum vero Sempronium percutere omnino nollet, Martinus percutitur ex involuntario tantum *privative* sumpto, Sempronius vero, ex involuntario insuper *positive* seu *contrarie*.

2°. Qui inductus aliquo motivo violat praeceptum sub gravi culpa obligans, etiamsi animo sit ita affectus ut, si abesset motivum illud, praeceptum non violaret, et ideo transgrediens illud aegre agat, tamen ponit actum *simpliciter voluntarium* (n. 58.), et ideo, in materia gravi, graviter peccaminosum; agit enim cum plena advertentia intellectus atque cum voluntatis consensu perfecto. Hujusmodi tamen actus est *involuntarius secundum quid* (nn. 47, 58.), et ideo minus culpabilis evadit.[1]—Quod si motivum illud ita in agentem influat ut rationis usum valde perturbet, atque advertentiam relinquat tantum semiplenam (quod quidem aliquando fieri potest, ut infra, agentes de Metu, videbimus), peccatum est tantum veniale: immo, ut ibidem videbimus, actus, qui ita perficitur, omnino a culpa immunis est, si usus rationis sit ita perturbatus ut agens nullo modo ad actus inhonestatem advertat.

---

[1] Vid. S. Alph., Lib. 2. art. ii. n. 21; Sporer, Tract. 1. cap. ii. n. 51.

3° Voluntarium sive *actuale* sive *virtuale* satis influit in actus moralitatem aut validitatem, ut actus efficiatur honestus vel inhonestus, validus vel invalidus: sic v.g. in utroque exemplo n. 68. tradito sacramentum valide conficitur. Voluntarium vero *habituale*, quum nullo modo, ne in virtute quidem, permaneat, non potest in moralitatem neque in validitatem actus influere: ideoque invalide baptizaret v.g. ebrius, dormiens, vel amens.

4° Cavendum vero est ne ex his inferatur *virtualem* voluntatem *suscipiendi* sacramentum requiri in eo cui sacramentum ministratur: hujus enim voluntas *habitualis* sufficit. Discriminis ratio est quia, ut sacramentum a ministro conficiatur, requiritur ejusdem *actus*, utique humanus: in suscipiente vero, quoniam nihil conficit, non requiritur actus, sed *dispositio* quaedam, quae satis adest si unquam voluit sacramentum suscipere, neque postea voluntatem revocavit.[1] Nihil igitur obstat quominus sacramentum v.g. extremae unctionis valide suscipiat moribundus sensibus omnino destitutus, qui antequam amiserit usum rationis, voluerit sacramentum illud suscipere.

5° Immo vero quum voluntas *implicita*, haud minus quam *explicita*, sit verum voluntarium, opus non est ut moribundus ille unquam *explicite* seu *expresse* cogitaverit de hoc sacramento suscipiendo, dummodo illud voluerit *implicite*, v.g. si unquam ei fuerit voluntas generalis, non postea revocata, sacramenta ecclesiae tempore debito suscipiendi, voluntas vivendi, aut saltem moriendi, ut hominem baptizatum decet,[2] etc., etc.

6° Verum ne ad suscipiendum quidem sacramentum sufficit istud, quod supra exposuimus, voluntarium *interpretativum conditionatum*. Id quidem aliquando, v.g. in

---

[1] De his vid. Viva, *Opusc. Moral. I.*, Quaest. I. art. ii. n. 5; Gury, Part. ii. n. 228.

[2] Vid. Gury, ibid. n. 230 (4°); Haine, *Princip. Theol. Sacramentalis*, Cap. 6. dub. 3. Resp. ii. resolv. 6°.

sacramento extremae unctionis, sufficere, tradunt quidam AA.[1] At vero ex definitione n. 83. tradita constat eos minus accurate locutos esse; neque enim istud *interpretativum* reipsa voluntarium est. Quod vero ad rem attinet, nihil potest incommodi oriri ex eorum loquendi modo: etenim, ut ex jam dictis constat, voluntas *habitualis* saltem *implicita*, quae hic omnino sufficit, semper adest quoties voluntarium istud *interpretativum* censeri potest adesse.

7° Quod si sermo sit de voluntario *interpretativo absoluto* (n. 84.),[2] omnino statuendum est illud sufficere ut conferantur sacramenta quaedam, v.g. extrema unctio. Id tamen eo sensu intelligendum est, quod sacramentum *debet conferri* iis quorum voluntas suscipiendi possit prudenter sic praesumi; quae tamen voluntas, saltem *habitualis* illa *implicita*, nisi reipsa adsit, sacramentum, etsi rite a ministro collatum, *invalidum* conficitur quum desit intentio suscipientis.

8° Ad actiones quae ad sui valorem requirunt positivum voluntatis *actum*, v.g. consensum alterius, etsi aliquando sufficit voluntarium *interpretativum absolutum*, tamen nunquam sufficit *interpretativum conditionatum*. Sic v.g. hujusmodi praesumpta voluntas superioris non sufficit ad conferendam sacerdoti jurisdictionem excipiendi confessiones, absolvendi a casibus reservatis, etc.—Ad eos vero actiones quae non requirunt positivum alterius consensum, sed solum ut ille invitus non sit, *interpretativum* sufficit voluntarium etiam *conditionatum*: v.g. ut liceat in ecclesia aliena, absente ejusdem parocho, celebrare.[3]

---

[1] Ita v.g. S. Alph., Lib. 6. Tract. i. n. 82. Neque tamen censendum est ita reipsa locutos esse AA. ibidem a S. Doctore citatos. Vid. v.g. De Lugo, *De Sacramentis in Genere*, Disp. 9. sect. vii. nn. 122. 130.

[2] De quo quidem reipsa loquuntur AA. fere omnes qui docent intentionem *interpretativam* hic sufficere. Vid. v.g. Lacroix, Lib. 6. Part. i. n. 172.

[3] Vid. Arriaga, *De Act. Humanis*, Disp. 8. n. 34; Struggl, *Theologia Moralis*, Tract. 1. quaest. i. n. 21: S. Alph., Lib. 1. Tract. ii. *De Legibus*, n. 187; Lib. 6. Tract. iv. *De Poenitentia*, n. 570.

§ 4. *De Voluntario in Causa.*

88. **Praenotanda.**—Praetermissis caeteris speciebus, voluntarii, in quibus nulla invenitur difficultas specialis hic agendum est de voluntario *in causa.*

89. Ejusmodi voluntarium, etsi non est voluntatis objectum formale seu expressum, illius tamen objectum verum est, adeo ut aliquando possint agenti etiam in culpam imputari ea quae hoc tantum modo voluntaria sint. Sic v.g. ut quis reus ebrietatis censeatur, necesse non est ut expresse seu *in se* intenderit hunc sui actus effectum; satis enim est si praevidens ebrietatem secuturam, nihilominus biberit, v.g. ob solam bibendi voluptatem.

90. Quaestiones duae hic exsurgunt: 1ª, quaenam conditiones requirantur ut aliquid censeatur *voluntarium in causa:* 2ª, quaenam requirantur ut queat insuper *in culpam* imputari?

91. His quaedam praemittenda sunt de praecipuis speciebus causarum: quae quidem plurimae sunt. Etenim causa est

1° *Immediata* vel *mediata.* *Prior* est ea quae effectum producit nulla alia causa interveniente; v.g. glans plumbea, qua, ex sclopeto emissa, quis vulneratur, *immediata* causa est vulneris sic inflicti. *Posterior* est ea quae effectum non producit nisi alia causa interveniente: v.g. in eodem exemplo, ille qui glandem ex sclopeto emisit est vulneris causa *mediata.*

2° *Principalis* vel *instrumentalis.* *Prior* est ea ex qua effectus primario dependet, ut v.g. scriptor; *posterior* ea est quae a causa principali movetur et regitur, ut v.g. calamus.[1]

3° *Physica* vel *moralis.* *Prior* est ea quae effectum

---

[1] Ita Tongiorgi, *Instit. Phil.*, Lib. ii. n. 264.

producit influxu, ut aiunt, reali, seu ita ut non operetur tantum movendo aliam causam quae sponte aut libere agendo effectum producit; sic v.g. ignis lignum aridum comburit: qui modus agendi ideo *physicus* dicitur, quia, in rebus naturalibus. quamdiu *physicae leges* servantur, repugnat hujusmodi causam, si sit rite ad opus apposita, effectum non producere.[1] *Posterior* est ea quae operatur movendo aliam causam quae libere aut saltem sponte agendo effectum producit: sic v.g. superior, aliquid subditis praecipiens, *moralis* est causa eorum quae fiunt ob praeceptum sic impositum. Causa igitur *moralis* semper *mediata* est.

4° *Proxima* vel *remota.* *Prior* est ea quae in effectum influit vel immediate vel saltem ita ut eam inter et effectum interveniant causae mediae tantum paucae. *Posterior* est ea quae in effectum non influit nisi pluribus ejusmodi causis interpositis. Eodem sensu causa dicitur *remotior* aut *propinquior*, quo plures aut pauciores aliae causae sic interveniunt. Sic v.g. ad ebrietatem concurrunt, at remotissime tantum, ii qui frumentum exarant, vitemve colunt, ex quibus liquor inebrians conficitur; minus remote concurrunt ii qui ex uvis aut frumento vinum aliumve hujusmodi liquorem exprimunt; propius, etsi adhuc remote, ii qui liquorem sic confectum mercatoribus vendunt; propius, mercator vendendo cauponibus; adhuc proprius, caupo in caupona vendendo; *proximae* vero ebrietatis causae censentur tum ille qui bibendo se inebriat, tum vinum quo sic bibendo abutitur, atque ii etiam, si qui sint, qui eum ad bibendum inducunt suadendo, irridendo, etc., etc. Ita quidem communior TT. loquendi modus. Has tamen voces aliter intelligunt quidam TT., sic v.g. Gury:[2]—Causa dicitur *proxima*, quae habet connexionem necessariam vel ordinariam cum effectu; *remota* vero, quae licet effectum producere

---

[1] Vid. Gormaz, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 5. sect. i. n. 158.
[2] Part i. n. 7, 3°.

valeat, vim tamen magnam non habet, et in illum non influit notabiliter; vel ea est ex qua effectus plerumque non provenit.

5° *Causa per se*, vel *per accidens*. *Prior* est ea quae ex sua natura tendit seu ordinatur ad effectum producendum. Sic v.g. inter causas physicas, intemperantia bibendi est *causa per se* ebrietatis; atque, inter causas morales, mandata, consilia, preces, minae, etc., sunt *causae per se* eorum quae praecipiuntur, suadentur, impetrantur, aut minis injunguntur. *Posterior* est ea quae, licet non sit ex sua natura ordinata ad effectum producendum, attamen aliquando, interveniente re aliqua, ad illum ducit. Sic v.g. si mendicus in blasphemias ideo erumpit quia commovetur invidia alterius cui quis eleemosynam, ipso praetermisso, largitus est, eleemosyna dicitur blasphemiae *causa per accidens*: sic quoque homicidium sequi potest *per accidens* ex eo quod quis gladium alteri vendit aut restituit,[1] etc. etc.—Haud raro *causa per accidens* alicujus rei vocatur ejusdem *occasio*.

92. His praemissis, agendum est de quaestionibus n. 90. recensitis. Quod ad *priorem* attinet, ut aliquid censeri queat *voluntarium in causa* consentiunt TT. duas saltem conditiones requiri, 1° ut aliquo modo profluat ex alio quod est voluntarium *in se*; ac 2° ut agens, saltem in confuso, advertat ad illud ita secuturum. Disputatur vero num insuper requiratur tertia quaedam conditio infra (n. 95.) exponenda.

93. Satis quidem patet requiri conditionem *primam*; illud enim quod non est *in se* voluntarium profecto nequit ullo modo voluntati tanquam causae tribui nisi quatenus profluit ex aliquo alio quod *in se* voluntarium est.

94. Nec minus evidens est requiri conditionem

---

[1] Vid. Gormaz, Disp. 5. sect. i. n. 159.

secundam: nihil enim voluntarium esse potest, quod prius non sit aliquo modo cognitum. Itaque v.g. ebrietas censenda non est voluntaria in eo qui se inebriat ex modico haustu liquoris cujus vim nullo modo suspicatur; neque homicidium patratum ab ebrio qui, se inebrians, nullo modo advertit ad periculum homicidii inde oriturum.—Dicitur, *saltem in confuso* advertat; neque enim ad voluntarium requiritur *distincta* advertentia effectus secuturi: sic v.g. si quis, diligentia debita non praemissa, suscipiat officium medici, judicis, confessarii, etc., dum advertat se carere scientia omnino requisita ut officio tanti oneris rite fungatur, et ideo vix fieri posse quin sit in errores quamplurimos lapsurus, hoc sane sufficit ut voluntarium *in causa* censeatur detrimentum infirmis, litigantibus, poenitentibus, etc., eventurum, neque requiritur ut advertat ad singula damna ita secutura, quod quidem plane non potest fieri.[1]—Huc quoque spectat sententia n. 42. memorata, quae statuit voluntarium esse posse cum advertentia tantum *virtuali* seu *interpretativa.* Quid vero sit de ea sentiendum infra videbimus.[2]

95. Hactenus TT. satis inter se consentiunt. Deinde vero oritur controversia num insuper *tertio* requiratur ut agens, quum sic adverterit ad effectum secuturum, teneatur ideo abstinere quominus causam ponat, ne effectus ille sequatur.

96. Quae quaestio ut intelligatur, animadvertendum est actionis adjuncta aliquando ejusmodi esse (*a*) ut agens, quum ad effectum quendam ex actione secuturum adverterit, teneatur abstinere quominus actionem, etsi in se omnino licitam, perficiat; aliquando vero ejusmodi esse (*b*) ut etiamsi adverterit ad malum effectum secuturum, nihilominus agere liceat. De qua obligatione, ejusque radice ac

---

[1] Vid. Lacroix, Lib. 1. *De Legibus*, n. 756.
[2] Vid. infra. nn. 104–109; et n. 192, Resolv. 1°, 6°—10°.

natura, quum infra[1] fuse agendum sit, hic satis est utrumque caput doctrinae jam traditae exemplis illustrare. Sic v.g. constat (*a*) illicitum esse tegulas in viam publicam projicere, praeviso periculo detrimenti transeuntibus inferendi ; nec minus constat (*b*) principi aliquando licitum esse bellum gerere, etsi animadverterit plurima eaque gravissima damna inferenda esse civibus omnino innocentibus.

97. Hic igitur quaeritur utrum, ut effectus sit *in causa* voluntarius, sufficiant conditiones duae nn. 93, 94. expositae, an insuper requiratur *tertio* ut actionis adjuncta ejusmodi sint, ut agens, quum adverterit ad effectum secuturum, ideo teneatur abstinere quominus causam, etsi in se omnino licitam, ponat ?

98. Hic triplicem viam TT. ineunt. Alii enim statuunt conditionem hanc tertiam requiri : alioquin, aiunt, dicendum esset, quod sane durus esset sermo, peccata hominum esse voluntaria in Deo, qui quidem, iis plane praevisis, hominem tamen condidit liberum, atque peccandi potentia praeditum. Alii e contra docent sufficere conditiones nn. 93, 94. expositas : alioquin aiunt, dicendum esset, quod sane omnino absonum videtur, vulnus inflictum ab eo qui alterius pectus transfodiat gladio, posse non voluntarium esse dummodo licite agat, v.g. si agitur de milite qui hostes in praelio sic interimit ; quod vero attinet ad rationem allatam ab iis qui tertiam insuper, ut jam dictum est, conditionem exigunt, hi quidem TT. fatentur peccata hominum utique dicenda esse in Deo voluntaria, sed negant locutionem illam, si exponatur genuinus sensus verborum ita ut notio culpae excludatur, aliquid reipsa incommodi prae se ferre.

99. Alii denique, quorum sententia fere omnium est

---

[1] Vid. infra, nn. 114–191.

TT.,[1] rem potius distinguendam esse censent. Sic igitur sententiam suam exponunt: causa quae *in se* est voluntaria, potest esse vel causa *per se*, vel causa *per accidens*, effectus de quo agitur: si prius, sufficiunt duae conditiones nn. 93, 94. recensitae, adeo v.g. ut voluntarium *in causa* censeri debeat vulnus inflictum ab eo qui, sive licite agat sive illicite, alterius pectus gladio transfodiat; si posterius, effectus sic *per accidens* ex actione in se voluntaria profluens non debet voluntarius censeri, nisi adest quoque illa obligatio de qua agitur in tertia conditione; quae si adest, effectus profecto debet voluntarius censeri in eo qui, prohibitionem spernens, causam ponit advertens eum esse secuturum, v.g. in illo qui, praeviso periculo homicidii ex ebrietate orituro, nihilominus voluntarie se inebriat: sin vero non adest hujusmodi obligatio, profecto non est cur voluntarius censeatur effectus qui ita, praeter agentis intentionem, ex actione omnino licita profluit; ideoque in scholis effectus hujusmodi *permissi*, potius quam *voluntarii*, dici solent. Sic v.g., in exemplo n. 91. allato, blasphemia mendici, etsi praevisa ab eo qui eleemosynam largitus est, non ideo debet voluntaria in eo censeri: neque in Deo voluntaria censeri debent peccata hominum,[2] quae tamen, ut supra dictum est, a Deo praevisa, ex eo profluunt quod hominem condidit arbitrio libero atque potentia peccandi praeditum.

100. Quae tertia sententia omnino anteponenda videtur; hic enim agitur de modo loquendi, seu de assequendo sensu quo locutio illa, *voluntarium in causa*, adhiberi debeat;[3] jamvero sensus quem haec sententia

---

[1] Vid. Suarez, *Tr. de Voluntario*, Disp. i. sect. iv. nn. 8, 9; Viva, *Opusc. Theol. Moral.*, 1. Quaest. 1. art. iii. n. 2; Ant. Mayr, Tract. 4. Disp. i. nn. 21–7.

[2] Id tamen affirmant nonnulli, v.g. Arriaga, *De Act. Hum.*, Disp. 8. sec. vi. n. 45. De quibus vid. Haunoldus, *Theologia Speculativa*, Lib. 2. Tract. i. Controv. 3; Ant. Mayr, Tract. 4. Disp. i. n. 29.

[3] Vid. Ant. Mayr, ibid. n. 27.

exhibet ille est qui (*a*) in scholis, saltem communissime, adhibetur; quo insuper (*b*), ut patet ex exemplis mox allatis, evitantur aliarum sententiarum incommoda quaedam haud sane exigua.

101. Accedit altera quaestio n. 90. recensita: quaenam requirantur conditiones ut effectus qui *in causa* est *voluntarius* queat insuper agenti *in culpam* imputari? Quam quidem penitus expendere oportet; neque enim alia in universa Theologia Morali invenitur quaestio quae magis ad usum spectet.

102 Omnino hic consentiunt TT. requiri conditiones tres: 1° ut *causa*, ex qua provenit effectus, *libere ponatur:* 2° ut agens *saltem in confuso* advertat ad *effectum* ex ea secuturum; 3° ut agens, quum ad effectum sic adverterit, obligatione n. 95. memorata *teneatur abstinere quominus causam ponat* ne effectus ille sequatur. De singulis agendum

103. *Primam* conditionem requiri ex eo patet quod libertas, ut infra, de ea agentes, videbimus, conditio essentialis est tum meriti tum culpae seu demeriti. "Nec ad virtutem," ait S. Hieronymus,[1] "nec ad vitia, necessitate trahimur; ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est." Atque S. Augustinus:[2] "Quis enim peccat in eo quod nullomodo caveri potest?"—Eodem recidit axioma pervulgatum; *Nemo ad impossibile tenetur.*

104. Quod ad *secundam* conditionem attinet, opus quidem non est ut eam hic stabiliamus, quam supra[3] ostendimus requiri ad ipsum *voluntarium.* Hic tamen oportet quaedam de ea exponere, praesertim ad refellendam sententiam eorum qui docent, seu potius docuerunt,[4] agenti posse in culpam im-

---

[1] Lib. 2. contra Jovinianum.
[2] Lib. 3. *De Libero Arbitrio*, cap. 18.
[3] Vid. supra, n. 94.
[4] Vid. S. Alph., Lib. 2. *Tr. de Peccatis*, n. 4; qui praecipuos istius sententiae fautores ibidem recenset Cajetan., Concin., Collet, Antoine, &c.

putari ea, quorum nullam omnino habuerit notitiam neque advertentiam ullius generis actualem, dummodo scilicet *potuerit ac debuerit* illam habere. Vid. supra, nn. 42, 94.

105. Istius sententiae duo sunt capita: quorum alterum (*a*) respicit *actiones* inhonestas, etiam *in se* voluntarias quae tamen perficiuntur sine ulla actuali advertentia inhonestatis: alterum (*b*) respicit *effectus* qui ex causis *in se* voluntariis profluunt, quos tamen secuturos esse agens non advertit. *Primum* illustratur exemplo illorum qui diuturna peccandi, v.g. blasphemandi, consuetudine tam obcaecati tandem eveniunt ut, iniquitatem quasi aquam (Job, xv. 16.) bibentes, ad malitiam suarum actionum nunquam advertant: qui tamen, secundum hanc sententiam, culpabiles in ejusmodi etiam actionibus censendi sunt, quippe qui, etsi non advertant se peccare, tamen advertere possint ac debeant. Exemplum *alterius* afferunt v.g. venatorem qui ex negligentia summa hominem occidit, eo quod, vix in sylvam ingressus, glandem ex sclopeto emisit in objectum inter dumeta latens, quod quidem feram esse judicavit, nulla tamen praemissa diligentia ad inspiciendum num forte esset homo: hunc aiunt homicidii reum omnino censendum esse, quum, etsi ad periculum nullo modo adverterit, advertere tamen potuerit ac debuerit. Duo ista, quum eadem aequivocatione nitantur, eadem etiam ratione refelluntur: de priore tamen fusius agere ad Tractatum *de Peccatis* speciali modo pertinet;[1] alterum refellere hujus est loci.

106. Minime igitur negandum est culpabilem esse eum qui, *quum possit ac debeat* aliquid perficere, illud tamen perficere praetermittat: negandum autem omnino est suppositum quo nituntur adversarii inde inferentes ad culpam sufficere advertentiam, quam vocant, *interpretativam* seu *virtualem;* neque enim unquam licet istud "*potest ac*

[1] Et vid. infra, n. 192. Resolv. 6°—10°.

debet advertere" praedicare de eo qui reipsa "*non advertit.*" Res satis patet ex principio n. 16. stabilito: quod Sylvius[1] sic evolvit:—"Homo non potest se applicare ad aliquid considerandum . . nisi praecedat cogitatio aliqua, qua voluntas moveri possit; non enim homo se applicat nisi per voluntatem, voluntas autem non potest se movere nisi praevia cogitatione. Ergo quando nulla fuit talis cogitatio . . non est in potestate hominis se ad istam movere; ac per consequens [carentia advertentiae] quae ista occasione manet non est reputanda vincibilis."

107. Unde facile solvitur aequivocatio qua nititur doctrina adversariorum. Etsi enim advertentia de qua agitur *possibilis* est *in se*, tamen, ut ait Suaresius,[2] "si in mentem hominis nunquam venerit de illa cogitare . . non potest dici . . esse *in hominis potestate.*" Ratio jam n. 106. exposita est; neque enim verum est hominem hic et nunc posse, *potentia*, ut aiunt, *proxima*, ad illud advertere, quum "in ejus potestate non sit actualiter cogitare ea quae per naturalem inconsiderationem nullo modo veniunt ei in mentem."[3] Quod si adversarii rem urgent argumentando hominem reipsa advertere posse, quum advertere debeat, atque obligatio potentiam praesupponat, iterum cum Doctore Eximio[4] respondemus, "*per se* quidem *teneri* seu *obligari* hominem [ad advertendum], nihilominus tamen illam obligationem hic et nunc *suspendi*, . . vel potius hominem ab illa *excusari* propter impotentiam proximam . . quae ex naturali oblivione vel inconsideratione orta est."

108. Etsi vero ex his patet omnino negandum esse

---

[1] In 1. 2. quaest. 76. art. 3. quaer. iii. concl. 2. De eodem argumento, praeter AA. et textus supra (n. 16.) citatos, vid. Suarez, *Tr. de Censuris*, Disp. 4. sect. viii. n. 18; Sanchez, *In Decalog.*, Lib. 1. cap. xvi. nn. 21–5; Terillus, *De Regula Morum*, Part. ii. quaest. 63.

[2] *Tr. de Voluntario*, Disp. 4. sect. i. n. 19.

[3] Sylvius, ibid.

[4] Suarez, *Tr. de Censuris*, Disp. 4. sect. viii. n. 18.

istud "potest ac debet *advertere*" praedicari posse de eo qui non reipsa *advertat*, tamen cavendum est ne censeatur TT. haud recte loqui de eo qui "potest ac debet *praevidere*" aliquid quod non reipsa *praevideat;* etenim per vocem "*praevidere*" significant rem *distincte* (n. 34.) apprehendere, seu aliis verbis, rem *scire*, adeo ut hoc modo loquendi tantum significent posse vincibilem et culpabilem esse alicujus rei *ignorantiam*, seu carentiam ejus *scientiae*. Id vero doctrinae hactenus traditae nullo modo adversari patebit ex iis quae infra, de Ignorantia agentes,[1] explicabimus; neque enim, ut ibi videbitur, ignorantia potest unquam censeri vincibilis nec culpabilis nisi in eo qui aliquo modo, saltem *in confuso*, advertat se ignorare.[2]

109. Neque ex dictis inferendum est ipsam carentiam advertentiae, seu, quod eodem recidit, naturalem oblivionem, esse semper a culpa immunem. Ex dictis quidem constat eam nunquam posse voluntariam esse *in se:* at nihil obstat quominus voluntaria sit *in causa*. Sit exemplum alicujus qui, quum expertus est se pluries in agendo deliquisse ex eo quod soleat praecipitanter agere, de quibusdam cogitat cautionibus adhibendis, quibus memoria, tempore debito, excitetur, atque sic magis circumspecte sit acturus; has quidem si nihilominus adhibere praetermittit, voluntarie se exponit periculo postea iterum praecipitanter agendi, quod si fiat, naturalis oblivio quae postea eveniet, et ideo ea omnia quae deinde, ut antea, ex ea profluant, profecto debent, ut satis praevisa *in causa*, agenti, ut *voluntaria in causa*, imputari.[3]

110. Rem illustrat exemplum a Suaresio traditum.[4] "Si homo aliquoties expertus sit solere se oblivisci

---

[1] Vid. infra, nn. 244, 248, etc.
[2] Vid. v.g. Gury. Part. i. n. 8, 10.
[3] Vid. Suarez, *Tr. de Voluntario*, Disp. 4. sect. iii. nn. 8, 25, etc.
[4] *Tr. de Religione*, Tr. iv. Lib. 4. cap. xxviii. n. 4.

alicujus Horae [Officii Divini recitandae] quando consueto tempore illam non recitat, vel quando aliis negotiis vel studiis nimis occupatus est, praevenire debet modum aliquem vel signum quo memoria excitetur, et tunc si per negligentiam hoc omitteret, posset illi ad culpam [ut *in causa* voluntaria] imputari oblivio."—Vix tamen opus est animadvertere carentiam advertentiae, seu oblivionem, ne hac quidem ratione posse voluntariam effici nisi ob praeviam cogitationem qua agens reipsa adverterit se posse, hujusmodi media adhibendo, eam praecavere. Unde Suaresius rem sic prosequitur:[1] "potest autem haec ipsa occasio, seu necessitas praeventionis, facile propter solam inadvertentiam omitti."

111. Denique de secunda hac conditione (n. 104.) hactenus exposita, duo insuper animadvertenda sunt. *Primum:* etsi, ut effectus sit culpabilis, satis est eum *in confuso* praevideri, minor tamen culpa est in eo qui effectum tantum sic praevidet, quam in alio qui eundem *distincte* praevideat; etenim profecto minus inhonestum est se committere periculo alicujus mali efficiendi, quam illud facere ex quo praevideatur malum istud esse certo secuturum.

112. *Secundo* animadvertendum est hanc conditionem haud minus requiri[2] etsi causa, de qua agatur, sit aliquid ex se illicitum; sive enim causa ex se licita est sive illicita, eodem modo valet ratio n. 94. tradita. Sic v.g. in eo qui libere se inebriat vino quod nescit esse venenatum, etsi voluntarium est peccatum ebrietatis, mors tamen inde secutura non est voluntaria, quia nullo modo est praecognita; item qui die Dominica summo mane se inebriat, non praevidens sic fore ut Missam non

---

[1] *Tract. de Religione*, Tr. iv. Lib. 4. cap. xxviii. n. 4.

[2] Vid. Lacroix, Lib. 1. n. 752. et alia loca ibid. citata. Cf. Suarez, *Tr. de Censuris*, Disp. 4, sect viii., n. 13; Billuart, *Tr. de Temperantia*, Diss. vi. art. 12.

sit auditurus, profecto non peccat ob Missam non auditam.[1]

113. Conditio tertia quae (n. 102.) requiritur ut effectus sit *in causa culpabilis*, est ut agens teneatur abstinere quominus causam ponat, ne praevisus ille effectus sequatur; nam si agens, etiam praeviso effectu secuturo, nulla hujusmodi lege teneatur, adeo ut, quum causam ponat, suo tantum jure utatur, effectus profecto nequit in culpam ei imputari. Sic v.g. blasphemia subditi non potest in culpam imputari superiori qui, officio suo fungens, illum corripuit, etsi praevidit illum in blasphemias esse ideo erupturum: neque carnales motus inordinati imputari possunt chirurgo, confessario, etc., qui, ut rite in suis officiis exercendis instru-

---

[1] Abs re non videtur quaedam hic exscribere ex opere juristae insignis Blackstone, ut videatur quantum distent principia quaedam, quae huc spectant, municipalis juris Britannici, a principiis naturalis juris supra expositis.

"If one intends to do another felony, and undesignedly kills a man, this is murder . . . So, if one gives a woman with child a medicine to procure abortion, and it operates so violently as to kill the woman, this is murder in the person who gave it." Blackstone, Lib. 4. cap. xiv. p. 201.

Quibus citatis, in exponendo corpore juris a se, sociisque suis, quibus munus illud mandatum est, confecto, scriptor ille apud Anglos celeberrimus, Macaulay, haec habet:

"The Law [of India] as we have framed it, differs widely from the English law.

"Under the provisions of our [Indian] code, this case [mentioned by Blackstone in the extract just quoted] would be very differently dealt with, according to circumstances. If A. kills Z. by administering abortives to her, with the knowledge that those abortives are likely to cause her death, he is guilty of voluntary culpable homicide. . . . If A. took such precautions that there was no reasonable probability that Z's death would be caused, and if the medicine were rendered deadly by some accident which no human sagacity could have foreseen, A. will be liable to no punishment whatever on account of her death, but will, of course, be liable to the punishment provided for causing miscarriage.

"It may be proper for us to offer some arguments in defence of this part of our code.

"It will be admitted that when an act is in itself innocent, to punish the person who does it, because bad consequences which no human wisdom could have foreseen have followed from it, would be in the highest degree barbarous and absurd.

"A pilot is navigating the Hooghly with the utmost care and skill; he directs the vessel against a sand-bank which has recently been formed, and

antur, perlegere debent libros tractantes ea quae effectus istos turpes haud raro excitant;[1] neque enim ii, seposito periculo voluntatis consensus, ulla lege prohibentur ne ejusmodi libros legant; contra vero, quum omnino eis liceat haec officia et artes exercere, jus profecto habent adhibendi medii cujusvis in se liciti, quo rite in his exercendis instruantur.

114. Quae tertia conditio ut rite intelligatur, integre exponendum est undenam oriatur, et quousque se extendat, obligatio qua quis aliquando (n. 95.) teneatur abstinere quominus causam, etsi in se omnino licitam, ponat, ne malus effectus praevisus inde sequatur. Itaque tria haec principia statuenda sunt:—

115. **Principium I.**—*Actio, alioquin in se omnino licita, aliquando illicita evadit ex eo quod effectus malus praevidetur inde secuturus.* Sic v.g. per se licitum est gladium alteri commodare: potest tamen id illicitum fieri ex eo

---

of which the existence was altogether unknown till this disaster. Several of the passengers are consequently drowned. To hang the pilot as a murderer on account of this misfortune would be universally allowed to be an act of atrocious injustice. But if the voyage of the pilot be itself a high offence, ought that circumstance alone to turn his misfortune into a murder? Suppose that he is engaged conveying an offender beyond the reach of justice; that he has kidnapped some natives, and is carrying them to a ship which is to convey them to some foreign colony; that he is violating the laws of quarantine at a time when it is of the highest importance that those laws should be strictly observed; that he is carrying supplies, deserters, and intelligence to the enemies of the State. The offence of such a pilot ought, undoubtedly, to be severely punished. But to pronounce him guilty of one offence, because a misfortune befel him while he was committing another offence,—to pronounce him the murderer of people whose lives he never meant to endanger, whom he was doing his best to carry safe to their destination, and whose death has been purely accidental,—is surely to confound all the boundaries of crime."—Macaulay, *Notes on the Indian Penal Code, Note* (*M.*)

Dum haec prelo subjiciuntur (anno 1879), Londini in curia legislativa agitur, rogantibus iis qui rebus publicis praefecti sunt [*the Ministry*], de lege statuenda [*Code of Criminal Law*] qua emendentur et componantur omnia ea quae in legibus Angliae traduntur de malefactis, de forma judiciorum quae puniendorum maleficiorum causa instituuntur, atque de poenis cujusque maleficii infligendis. Inter cetera agitur de abrogando absono illo juris praescripto supra dicto.

[1] Vid. S. Alph., Lib. 2. *Tr. de Act. Humanis*, Art. 2. n. xiv., 2°.

quod praevideatur illum qui gladium petat eo abusurum esse ad inimicum occidendum.

116. Obligationis hujus fons duplex esse potest: (*a*) commune fraternae charitatis praeceptum quo prohibetur ne quis alteri praebeat occasionem peccandi: ac (*b*) speciale praeceptum illius virtutis, v.g. justitiae, temperantiae, religionis, etc., cui adversatur malus effectus de quo agitur; quaevis enim virtus, dum *primario* prohibet ea quae ipsi directe adversantur, *secundario* prohibet alia quae, etsi in se omnino licita, tamen causae sunt ex quibus profluunt effectus qui primaria virtutis obligatione prohibentur. Sic v.g. in exemplo jam allato, (*a*) virtus *charitatis* prohibet ne quis alteri sic praebeat ea quibus praevideatur abusurus in perniciem animae suae: insuper (*b*) virtus *justitiae*, cujus praeceptis *primariis* prohibentur homicidium, furtum, et alia hujusmodi, *secundario* prohibet ne quis alteri sic praestet instrumenta quibus praevideatur abusurus ad haec patranda. Eodem modo, virtus temperantiae *primaria* obligatione prohibet ne quis se inebriet; atque obligatione *secundaria* prohibet ne alteri praebeantur media se inebriandi: et sic de aliis virtutibus.

117. Quod si agatur de effectu malo qui eveniet sine alterius peccato, non urget (*a*) communis obligatio charitatis fraternae, sed tantum (*b*) specialis obligatio illius virtutis, v.g. justitiae, temperantiae, etc., cui adversatur effectus de quo agitur: sic v.g. res se habet si amens sit ille qui gladium ad homicidium patrandum petat.[1]

118. **Principium II.**—*Neque tamen commune praeceptum charitatis, neque speciale praeceptum alius virtutis, ita in universum obligat ut nunquam liceat* quidpiam *agere ex quo malum praevideatur secuturum.*

---

[1] De his, infra in *Tr. de Charitate* stabiliendis, vid. S. Alph. Lib. 3. Tract. 3. n. 45.

119. Etenim neutrum ex praeceptis n. 116. memoratis, quum utrumque juris naturalis sit, censeri potest obligationem ullam imponere nisi quam ratio ipsa naturalis approbet, immo exigat ut imponatur: jamvero tantum abest ut talis censeri possit obligatio istiusmodi universalis, ut contra naturalis ratio declaret eam fore jugum omnino intolerabile; neque enim, si ista obligatio existeret, cuiquam liceret ullam artem aut professionem exercere, aut ullum munus exsequendum suscipere, neque ullum posset inter homines commercium servari. Vix enim quidquam est ex quo timendum non sit ne periculum alicujus mali oriatur. Sane quidem, ut rem illustrat Billuart,[1] "Christus et Apostoli non tenebantur omittere praedicationem Evangelii, licet inde plura mala secutura viderent; rex non tenetur omittere bellum caeteroquin justum, licet inde praevideat multos innocentes gravandos . . ; et licite venduntur arma, licet multi praevidentur iis abusuri."

120. Quibus duobus constitutis, oritur quaestio, momenti sane, quod ad usum attinet, maximi, undenam in aliquo casu dignoscendum sit utrum licitum sit an illicitum id agere ex quo malum secuturum praevideatur? Huc spectat principium illud notissimum quod tradere solent TT. de causa ex qua profluunt effectus duo, alter bonus, alter vero malus. In quo tamen exponendo multum inter se discrepant: immo ne sibi quidem ipsis satis constant quidam ex iis, qui, obliti, ut videtur, eorum quae hic statuunt in principio enuntiando, illud postea adhibent sensu omnino diverso.

121. Primo igitur proferendum est principium appositis iis omnibus conditionibus quas communiter, praesertim in hoc Tractatu *de Actibus Humanis*, apponere solent theologi enuntiantes illud ut commune principium

---

[1] *Tract. de Temperantia*, Diss. vi. art. 12.

morum. Deinde investigandum erit quatenus conditiones eae omnes apponi debeant; cui quidem quaestioni ut plene satisfiat, inspiciemus quatenus TT. soleant eas reipsa exigere, quum, praesertim in caeteris Theologiae Moralis tractatibus, quaestiones morum ope hujus principii resolvunt. Quibus omnibus perpensis patebit quomodo principium reipsa debeat hic proferri atque intelligi.

122. Sic igitur solent TT. hoc principium proferre :— Licet ponere causam ex qua duo praevidentur effectus secuturi, quorum alter bonus est, alter vero malus, dummodo 1° ipsa causa sit in se bona, aut saltem indifferens; 2° sit ratio agendi proportionate gravis; 3° duo effectus aeque immediate ex causa profluant, aut saltem non ita profluant ut bonus effectus obtineatur mediante effectu malo; 4° denique bona sit intentio agentis, eo sensu quod agens unice intendat effectum bonum, ideoque erga malum effectum *permissive* tantum se habeat. Ita, quod ad rem attinet, principium enuntiant v.g. Billuart[1] et Gury.[2]

123. Quo plenius perspiciatur sensus principii sic traditi, haud inutile erit recensere quaestiones quasdam, in quibus, et in aliis ejusdem generis, resolvendis, principium de quo agitur adhibendum est.

124. Huc igitur v.g. revocanda est quaestio num principi liceat bellum inire (en *causa ipsa*), ad injuriam reipublicae propulsandam (en *bonus effectus*), quod tamen praevideat non posse geri sine ingenti militum caede, atque malis quamplurimis (en *effectus malus*) quae bellum parere soleat? Item, num liceat cauponi vinum hospitibus praebere (*causa*) propter consuetum lucrum inde percipiendum atque ne hospites popinam deserant (effectus *bonus*), quos tamen praevideat, si vinum prae-

---

[1] *Tract. de Jure et Justitia*, Diss. 10. art. v. § 1.
[2] Part. i. n. 9.

buerit, eo abusuros esse ad se inebriandos (effectus *malus*)? Num liceat uxori Missam die festo audiendam praetermittere (*causa*), posthabitis Ecclesiae praecepto ac gratiis ex Missa audita accipiendis (effectus *malus*), ut sic (effectus *bonus*) impediantur peccata mariti quem blasphemias emissurum praevideat si ipsa e domo exeat ad Missam audiendam? An liceat alicui glandem ex sclopeto in injustum vitae aggressorem emittere (*causa*), ita ut, aggressore occiso (effectus *malus*), ipse incolumis (effectus *bonus*) evadat?

125. Ex quibus patet principium de quo hic agitur ejusmodi esse debere quod adhiberi possit (*a*) sive causa, de qua agatur, sit aliquid *facere*, ut v.g. vinum alicui praebere, bellum inire, etc.; sive sit aliquid *omittere*, ut v.g. Missam non audire. Item (*b*) sive sit *causa per se*, ut v.g. glandem ex sclopeto in aliquem emittere ita ut occidatur; sive sit *causa per accidens*, ut v.g. quum caupo praebet vinum quo hospites ad se inebriandos abutuntur. Denique (*c*) animadvertendum est hic non esse sermonem de bono aut malo tantum *morali*; sed de bono aut malo sive *morali* sive *physico*. Sic v.g. effectus bonus, de quo agitur, aliquando est bonum temporale, ut in exemplo cauponis; aliquando est bonum spirituale, ut in exemplo uxoris qui domi manet ne exiens marito praebeat occasionem blasphemandi.

126. His igitur praemissis, exponendae sunt quatuor conditiones n. 122. recensitae, atque investigandum est quatenus reipsa requirantur.

127. Itaque *primo* statuitur ipsam *causam* debere *bonam* esse vel saltem *indifferentem*, seu aliis verbis ejusmodi quae nulli legi adversetur. Neque enim, ut ex verbis patet, potest quaestio hic esse nisi de causa quae in se spectata saltem indifferens, et ideo licita, sit. De hac igitur prima conditione dubium esse non potest.

128. Insuper *secundo* vix opus est ut demonstretur

requiri alteram conditionem, quae exigit *rationem* agendi *proportionate gravem.* Etenim profecto, ut TT. notare solent, naturalis ipsa aequitas quemque obligat ad mala vitanda et ad praecavenda alterius damna, sive spiritualia sive temporalia, saltem quoties id potest fieri sine damno proportionate gravi ipsi obventuro.

129. Haec tamen conditio, ut rite intelligatur, longiori expositione indiget. Notandum igitur est 1° rationem agendi *proportionate gravem* tum adesse censeri quum, perpensis utriusque partis commodis et incommodis, perspicitur *incommodum* oriturum ex imponenda obligatione qua homines, in iis rerum adjunctis de quibus agitur, tenerentur abstinere quominus causam ponerent, majus esse quam cui aequivaleret bonum seu *commodum* quod ex obligatione imposita proveniret. Sic v.g. in exemplo cauponis n. 124. allato, perpendendum est ex una parte incommodum lucri omittendi, atque ex altera commodum ex obligatione, si existeret, proventurum, nempe minui occasiones intemperantiae bibendi si vinum sic vendere non liceret : quod si incommodum, utraque parte perpensa, nimium sit, censetur esse ratio proportionate gravis ut vinum sic vendere liceat.

130. Hic enim agitur de tradenda regula secundum quam prudenter judicari possit utrum actio aliqua, spectato jure naturali, licita sit an illicita seu inhonesta. Jamvero, etsi omnino statuendum est, quod latius infra[1] videbimus, actiones quasvis honestas esse aut inhonestas, prout aeternae Dei legi conformes aut difformes sint, censendum tamen non est hanc regulam moralitatis a *libera* Dei voluntate pendere ; plurimae enim sunt actiones, ut ibidem videbimus, quae ita naturae rationali conveniunt aut disconveniunt, ut Deus easdem permittens, approbans, aut prohibens, omnino *necessario* agat,

[1] Vid. infra. nn. 368, 371.

eo quod divino alicui attributo repugnaret illum se alio modo habere erga eas. Porro conditio haec secunda tantum declarat quomodo dignosci possit utrum actio, spectatis omnibus adjunctis, ejusmodi sit quam Deus lege aeterna ac naturali permittere an prohibere debeat, seu, quod idem est, utrum actio illa a lege Dei aeterna ac naturali reipsa permittatur an prohibeatur.

131. Etenim, ut verbis utar scriptoris[1] qui prae ceteris videtur hanc quaestionem funditus perpendisse, " In assignanda regula secundum quam judicare prudenter possumus quaenam objecta honesta, quaenam inhonesta sint, non potest rationabilius procedi quam si talis assignetur qualem in condendis legibus vellent a natura observatam esse omnes creaturae intellectuales . . si in statu possibilitatis et adhuc incertae de sua existentia, deque suis casibus fortuitis. deberent ferre suffragium pro ferenda lege. Probatur ex illo jurisperitorum effato: *Summus omnium legum finis est salus publica. Salus populi suprema lex esto.* Unde consequens est omnes leges . . constituendas eatenus esse, *quatenus* illarum observatione *humana societas ac publica tranquillitas meliore modo censebitur conservari.*

132. " Jamvero si singuli homines adhuc incerti de suis casibus particularibus qui possent evenire, deberent ferre suffragium an hoc vel illud deberet esse licitum vel illicitum, utique vellent eo modo decerni et legem ferri quo modo si ferretur, censeretur ad tranquillitatem conducere; v.g. unusquisque vellet ut laudabilis esset et naturae placeret ille qui contra hostes patriam defenderet cum periculo vitae, e contra vero ut displiceret ille qui patriam hostibus proderet, qui, altero invito, ejus bona, famam, aut vitam auferret etc., etc. Ergo in assignanda regula honestatis et inhonestatis naturalis, non possumus

---

[1] Haunoldus, *Theol. Speculativa*, Lib. 2. tract. i. cap. v. controv. 1. § 9.

securius procedere quam consulendo nostrum lumen naturae, quid nempe consuluissemus auctori naturae, si nos in consilium adhibuisset, antequam sciremus de casibus qui eventuri aliquando essent."

133. Quibus luculenter expositis, auctor ille eruditus ac subtilis rem totam sic conficit. Generalis regula honestatis et inhonestatis fundata in ipsa natura est haec:—Illud est licitum quod, sensu exposito, ad bonum et felicem statum humani generis *expedit licere*, seu aliis verbis *expedit* a Deo hominibus *permitti*. Porro quid sit *expedire* ad hunc finem, ex terminis notum est; quum enim *expedire* ad aliquem finem sit plus boni quam mali ad finem afferre, ideo *expedire* ad statum supra dictum est plus boni quam mali afferre ad statum illum efficiendum ac conservandum. Ita Haunoldus.[1]

134. In his perpendendis praetermittendum non est incommodum illud ex quavis obligatione imposita proveniens, nempe peccandi occasiones multiplicari, propter quod fieri omnino non potest quin plura inter homines peccata patrentur.[2]

135. Insuper TT. hic merito animadvertunt haud unice inspiciendum esse commodum vel incommodum oriturum *in casu particulari* ex eo quod illud, de quo agatur, *in illo casu fieret aut omitteretur;* nam insuper, et quidem praecipue, ut ex dictis patet, inspiciendum est utrum *societati in universum spectatae* ac *generi humano* magis utile sit illud *hominibus permitti an interdici.*

136. Sunt enim actiones, ut ait Laloux,[3] pro quibus non videbitur esse ratio sufficiens si attendatur ad casum particularem, adesse vero agnoscetur si attendatur ad generalitatem casuum. Sic v.g. TT. unanimes statuunt licere injustum vitae aggressorem occidere, quum alia media conservandae vitae desint, idque etiam

---

[1] Ibid. Vid. etiam Lacroix, Lib. 5. *De Peccatis*, n. 48.
[2] De hoc argumento cf. Rassler, *Norma Recti*, Disp. iii. n. 384.
[3] *Tract. de Actibus Humanis*, Diss. 8.

in casibus iis haud paucis, in quibus incommodum proveniens ex aggressore occidendo, quo sequitur ipsius tum corporis tum etiam animae mors, longe exsuperat bonum sperandum ex vita alterius conservanda ; etenim illud, etiam in iis casibus, prohibere, "bono communi maxime nocivum esset, quia sicarii, latrones, aliique homines impii, (scientes bonos et pios, eos, ad vitam etiam tutandam, non occisuros) audaciores fierent, et tum familias tum ipsam societatem homicidiis et latrociniis affligerent et perturbarent."[1]

137. Atque e contrario saepissime fit ut, quamquam actio quaedam *in casu particulari* plus boni quam mali afferat, tamen non expediat eam jure naturali *licere*, qui ex hac ipsa licentia concessa, ut rem prosequitur Haunoldus,[2] "plus mali quam boni sequeretur, aut timendum esset, in ordine ad statum felicem reipublicae humanae. Sic v.g. posset contingere ut levi mendacio hostis iniquus averteretur et integrum regnum conservaretur, et per consequens hujusmodi mendacium *hic et nunc* plus boni afferret quam mali ; et tamen hoc non obstante non licet etiam in tali casu mentiri ; quia ipsa *licentia mentiendi* in casu quo plus emolumenti speraretur ex mendacio quam damni, *esset ansa* tanti *abusus*, ut omnis societas et humanum commercium summe laederetur, si non omnino dissolveretur."

138 Iterum potest haec doctrina illustrari ex iis quae tradunt TT. quum demonstrant illicitum esse abortum procurare, in iis etiam casibus in quibus maximum quodvis incommodum sequatur ex eo quod partus non ita impediatur. Sic v.g. ait De Lugo[3] :—"Debuit omnino

---

[1] Crolly, *De Justitia et Jure*, vol. iii. n. 78. Vid. etiam De Lugo, *De Justitia et Jure*, Disp. 10. sect. vi. n. 142 ; et Carriere, *De Justitia et Jure*, Part. ii. sub fin. n. 786.

[2] *Theol. Speculativa*, Lib. 2. tract. i. cap. 5. controv. 1. § 9. Vid. Carriere, *De Justitia*, Part. ii. n. 932 ; Lacroix, Lib. 5. *De Peccatis*, n. 48.

[3] *Tract. de Justitia et Jure*, Disp. 10. sect. v. n. 131. Vid. etiam Carriere, *De Justitia*, Part. ii. n. 755.

prohiberi procuratio abortus ; quia si id aliquando liceret, periculum esset quod homines delectationem copulae quaererent eo animo et fiducia quod postea, ex causa superveniente, abortus posset procurari ut partus impediretur ; et magna occasio daretur fornicationibus et stupris, a quibus absterret timor prolis et partus futuri, qui timor magna ex parte cessaret si postea *ex causa aliqua* liceret abortum procurare : fatendum ergo est naturam . . foetus administrationem sibi reservasse, negata parentibus facultate disponendi de eo, nisi ad finem ab ipsa natura intentum ; quia omnis administratio alias ipsis concessa facile posset inconvenientia afferre."

139. Eo igitur sensu intelligenda est conditio (n. 128.) *secunda*, nempe, actionem ejusmodi esse debere, ut perpensis tum commodis tum incommodis orituris ex ea permittenda aut prohibenda, magis expediat bono humani generis eam a Deo permitti quam prohiberi.

140. Ex dictis constat omnino requiri duas conditiones hactenus expositas. An vero idem censendum sit de aliis duabus conditionibus n. 122. recensitis, est quaestio nunc perpendenda.

141. Itaque, ut supra dictum est, TT., quum tradunt principium de quo hic agitur, solent *tertio* exigere ut effectus duo, de quibus agitur, aeque immediate ex causa profluant, aut saltem non ita profluant ut bonus effectus obtineatur mediante effectu malo.[1]

142. Quod quidem requiri demonstrare solent ex eo quod "si causa directe et immediate habet pravum effectum, et nonnisi mediante illo pravo effectu bonus effectus provenit, tunc bonum ex malo quaeritur : porro nunquam fas est malum, quantumvis leve, patrare ad bonum quodcunque procurandum ; nam juxta pervul-

---

[1] Vid. v.g. Billuart, *Tr. de Jure et Justitia*, Diss. x. art. 5. sub fin. §. 1 ; Gury, Part. i. n. 9; Carriere, *De Justitia*, Part. iii. n. 1197.

gatum axioma ex Apostolo depromptum (Rom. iii. 8.); *Numquam sunt facienda mala, ut eveniant bona.*" Sic mentiri tibi non licet, ne ad vitam quidem hominis salvandam. Ita v.g. Gury.[1]

143. Haec tamen sic prolata mirari quis poterit qui animadverterit conditionem istam omnino deficere in casibus haud paucis in quibus nihilominus, secundum illorum etiam TT. sententiam, causam utriusque effectus ponere omnino liceat. Sit exemplum illius qui, quum alia se tuendi media desint, glandem in injustum vitae aggressorem ex sclopeto emittat, ut illum occidendo suam vitam conservet: id quidem licere omnino constat; neque tamen bonus hujus actionis effectus, ut vitam nempe suam conservet, obtinetur nisi mediante effectu malo, id est, morte aggressoris.

144. Et quidem conditio ista reipsa gratis exigitur. Quod enim attinet ad doctrinam Apostoli, atque ad axioma ex ea depromptum, haec quidem respiciunt tantum eos qui *malum aliquod morale* faciunt seu, aliis verbis, *peccant*, propter bonum secuturum: sicut v.g. in exemplo a Gury allato. Itaque patet argumentum illud hic afferri omnino extra rem; haec enim ipsa est quaestio hic solvenda, *an*, et quatenus, *peccet* ille qui causam in se licitam ponat, ex qua malus effectus sequatur. Atque plane ex dictis constat id non semper esse peccatum. Sic v.g., ut exemplo antea allato utar, moraliter malum seu peccatum non est glandem ex sclopeto emittere in injustum vitae aggressorem ita ut ille occidatur; neque enim praeceptum *Non occides* intelligi debet nisi de iis casibus in quibus non est justa causa occidendi.[1]

145. Attamen negandum non est quin causam utriusque effectus ponere aliquando saltem illicitum fiat ex

---

[1] Vid. Gury, Part. i. n. 9.

[2] Vid. Crolly, *De Justitia*, Vol. iii. nn. 178 et seq.; Carriere, *De Justitia*, Part. ii. n. 176. Atque vid. infra. n. 447 et seq.

eo quod bonus effectus non obtineatur nisi mediante effectu malo. Quandonam vero et quatenus id eveniat, vix satis clare exponi potest donec exposita fuerit *quarta* conditio n. 122. recensita.

146. Itaque *quarto* solent TT. hic exigere ut agens unice intendat effectum bonum, et ideo erga malum effectum *permissive* tantum se habeat.[1]

147. Haec sententia deduci videtur ex verbis quibus S. Thomas exponit quomodo liceat injustum vitae aggressorem occidere. "Nihil prohibet," ait Doctor Angelicus,[2] "unius actus esse duos effectus, quorum alter sit in intentione, alter praeter intentionem. Ex actu ergo alicujus se defendentis duplex effectus sequi potest, unus quidem conservatio propriae vitae, alius autem occisio invadentis. Actus hujusmodi, ex hoc quod *intenditur conservatio propriae vitae*, non habet rationem illiciti. . . . Sed *illicitum est* quod homo *intendat occidere hominem* ut seipsum defendat." Unde post Cajetanum Thomistae satis communiter[3] docent nullo modo licere homini, sic se tuenti, aggressoris mortem, ne ut medium quidem se conservandi, intendere: sic v.g. Billuart,[4] postquam statuit licere "transfodere pectus aut guttur invasoris, vel dirigere glandem plumbeam in caput ejus," subjungit illicitum esse "intendere ejus mortem," ad quam scilicet alter, etsi eum occidens, tamen debet "*permissive* se habere, intendens solum defensionem suam." Quae quidem subtilius profecto quam verius dicta videntur.

140. Non desunt vero qui, doctrinam S. Thomae omnino aliter intelligentes, illius verba sic exponant, ut illicitum statuatur aggressoris mortem *intendere ut finem*

---

[1] Vid. v.g. Gury, Part. i. n. 9; Billuart, *Tract. de Temperantia*, Diss. vi. art. 12.

[2] *Summa*, 2. 2. Quaest. 64. art. 7.

[3] Vid. Carriere, *De Justitia et Jure*, Part. ii. n. 784.

[4] *Tract. De Justitia et Jure*, Diss. x. art. 5. § ii. Requiritur 5°.

actionis, (quod sane esset ex odio aut vindicta agere), liceat vero eam *intendere ut medium*, quatenus reipsa medium est, suae vitae conservandae.[1] Quorum sententiae profecto illud favet, quod in communi usu scholarum atque ab ipso etiam Angelico Doctore, actus ii voluntatis, quorum alter proponit *finem* assequendum, alter statuit *medium* adhibendum, ita distinguuntur, ut prior, isque solus, dicatur *intentio*, alter vero *electio* appelletur.[2] Quod si nequeat, ut aliis videtur, doctrina S. Thomae intelligi nisi eo sensu quo Thomistae,[3] ut supra n. 147. vidimus, satis communiter eam exponunt, attamen dicendum videtur, cum sententia aliorum TT. longe communiore, nihil illiciti in hujusmodi actu inveniri, dummodo caeterae adsint conditiones hic expositae ac exponendae. Namque, ut De Lugo,[4] quaestionem illam exponens, rem plane conficit, "id intendere possumus quod necessarium est ad vitae nostrae defensionem : sed necessaria est mors adversarii, qui propter animum obstinatum non desistit a te invadendo . nisi moriatur : ergo intendere poteris mortem illius, non solum ut percussio sed etiam ut mors est, quia non aliter, nisi ut mors utilis est ad tuam tutelam. . . *Haec ergo mors intenditur :* sicut qui abscindit manum putridam propter sanitatem, intendit ipsam abscissionem manus."

149. Itaque sicut supra (n. 143.) de *tertia* conditione vidimus, hic de *quarta* etiam conditione statuendum est, eam profecto non ita requiri ut quivis actus, ea deficiente, fiat ideo illicitus. At simul agnoscendum est, quod n. 145. de tertia quoque conditione vidimus, nonnullos actus illicitos fieri eo quod haec conditio non servatur.

---

[1] Vid. Molina, *De Justitia*, Disp. xi. nn. 3. et seq.; Haunoldus, *De Justitia*, Tom. I. Tract. ii. n. 631 ; et *Vindiciae*, Controv. lxii. nn. 267, 268.

[2] Vid. infra, n. 433.

[3] Vid. v.g. Billuart, *Tr. de Act. Hum.*, Diss. 3. art. vi. § 2, 3.

[4] *De Justitia*, Disp. 10. sect. vi. n. 149. Vid. Carriere, *De Justitia et Jure*, Part. ii. n. 784, 794; Crolly, *De Justitia et Jure*, vol. iii. n. 181; Laloux, *De Act. Humanis*, Diss. 8.

150. "Quosdam," ait Laloux,[1] "novimus, qui, quum sentiant se non posse pro illicitis habere multas actiones, in quibus conditio haec non verificatur, v.g., occisionem injusti invasoris et varias damnificationes hujusmodi, dixerint in hisce casibus non esse applicandum principium de actu duplicem effectum habente sed adesse simplicem legis cessationem. Verum hos monitos velim: 1° quod se parum gratos et reverentes exhibeant erga S. Thomam, a quo doctrinam suam hausisse se gloriantur; quum S. Thomas, in tota suorum operum serie, semel tantum appellaverit principium quod suum dicunt, semel tantum eo usus fuerit, *ad excusandam* quidem *occisionem injusti aggressoris*, unam ex illis actionibus quas ipsi nunc excusandas volunt principiis aliunde petitis, ex legis, ut aiunt, cessatione; 2° quod secum ipsis pugnent et evidentiae resistant. Quid est enim occisio injusti invasoris vitae propriae servandae causa. . . nisi actio [glandem v.g. ex sclopeto in hominem emittere] indifferens in se, si consideretur abstractum a suis effectibus, mala propter malum effectum, et, non obstante malo effectu, permissa et licita propter effectum bonum? Ubi autem est actio ejusmodi duos habens effectus, velint, nolint, recurrere tenentur ad principium a se positum pro actu duplicem effectum habente, quod principium falso laborare profecto demonstratur si vel una sit actio cum duplici effectu quae licita sit absque conditionibus in principio enuntiatis."

151. Neque tamen est cur cum auctore citato censeatur non posse fieri ut principium ita enuntietur ut omnes omnino quos respicere debeat casus saltem aliquo modo complectatur. Etenim si res propius inspicietur, sive agitur de *quarta* hac conditione, sive de *tertia* nn. 141-145. exposita, videbitur difficultatem ex eo praesertim

---

[1] *Tract. de Act. Humanis*, Diss. viii. Sect. 3.

ortam esse quod in principio enuntiando TT. non satis animum adverterint nisi ad unum ex duobus generibus casuum quae tamen plane inter se distingui deberent.

152. Alii enim sunt casus (*a*) in quibus malum secuturum adeo inhonestum est ut nulli unquam liceat consentire in illud, neque ut finem agendi, neque ut medium assequendae alius rei quantumvis in se bonae atque honestae; alii vero sunt (*b*) in quibus malum secuturum non adeo inhonestum est, et ideo licet in illud consentire, sin minus ut finem agendi, saltem ut medium assequendi alius finis boni et honesti.

153. Recensere quidem ea quae priore sensu inhonesta sunt, hujus profecto non est loci; pertinet enim ad eos Theologiae Moralis tractatus in quibus singulae virtutes atque praecepta exponuntur: sic v.g. in Tractatu de Quinto Praecepto Decalogi ostenditur ejusmodi esse actus se occidendi, occidendi innocentem,[1] procurandi abortum, etc., etc.,; in Tractatu de Sexto Praecepto idipsum ostenditur de pluribus actibus atque effectibus virtuti castitatis oppositis; et sic de ceteris.[2]

154. Haec vero distinctio si servetur, principium sic proferri potest, ut omnes omnino casus complectatur Sit igitur

155. **Principium III.**—*Licet ponere causam ex qua duo praevidentur effectus secuturi, quorum alter bonus est, alter vero malus, dummodo* 1° *ipsa* causa *sit in se* bona *aut saltem* indifferens, 2° *adsit* ratio agendi proportionate gravis, *et* 3° ne inhonesta *sit agentis* intentio. *Atque insuper in iis casibus in quibus malus effectus adeo inhonestus est ut nulli unquam liceat in eum consentire, neque ut finem agendi, neque ut medium assequendi alius*

---

[1] De hoc tamen, quod quidem propius investigare ad Tractatum *de Quinto Praecepto Decalogi* pertinet, vid. Laloux, *Tract. de Actibus Humanis*, Diss. 8. sect. 3; et Exam. part. 1. cap. i. art. 3.

[2] Vid. supra, nn. 130-138.

finis quantumvis boni, requiritur, 4° *ut duo effectus ita ex causa profluant ut* bonus effectus non obtineatur mediante effectu malo, *ac* 5° *denique ut* agens effectum malum nullo modo intendat, *sed* permissive *tantum se habeat erga eum.*

156. Principium igitur sic traditum duabus partibus constat; quarum prior enuntiat conditiones tres, quae requiruntur ac sufficiunt in omnibus omnino casibus praeter eos in quibus malus effectus ejusmodi est qui pertineat ad primum ex duobus generibus n. 152. recensitis; altera vero enuntiat duas alias conditiones, quae insuper requiruntur in iis casibus in quibus effectus istiusmodi generis est. Partes duae hic sigillatim exponendae ac stabiliendae sunt.

157. Sensus prioris partis, quod attinet ad conditiones *primam* atque *secundam*, satis ex dictis patet. De *prima* conditione vid. n. 127: de *secunda*, vid. nn. 128-139.

158. Conditio insuper *tertia* vix indiget expositione. Infra quidem,[1] de Fine actus humani agentes, videbimus actum quantumvis bonum, etiamsi nullus omnino effectus malus ex eo sequatur, tamen vitiari atque malum fieri si ob finem inhonestum perficiatur. Porro haec conditio, ut finis seu intentio agentis non sit inhonesta, hic apponitur eo sensu quod agens debet ut finem agendi intendere effectum bonum, adeo ut *malum effectum aut nullo modo intendat, aut intendat solum ut medium*, quatenus reipsa medium sit, ad bonum effectum obtinendum.

159. Res illustratur exemplo saepius supra tradito, alicujus aggressorem occidentis ad vitam conservandam; etsi enim, ut supra expositum est, aggressoris mortem in ejusmodi casu intendere licet, profecto non licet eam

[1] Vid. infra, cap. 3. art. ii. § 3.

in se nec propter se intendere, neque in ea complacere aut de ea gaudere nisi quatenus medium est vitae conservandae; haec enim, ut patet, non fierent nisi ex spiritu odii aut vindictae.[1] Item illustrari potest exemplo actionis, cujus malus effectus non est medium effectus boni consequendi: tunc quidem plane non licet effectum malum ullo modo intendere, non quidem ut finem agendi, ut constat ex antea dictis, neque ut medium quia medium reipsa non est. Sic v.g. ait De Lugo, "medicus adhibens medicamentum utile ad sanitatem, ex quo praevidet secuturam debilitatem aegroti, intendit sanitatem, non debilitationem quae ex illo remedio sequitur; nam ad sanitatem non conducit debilitatio aegroti sed evacuatio humoris noxii, quae quia fieri non potest quin simul debilitetur infirmus, *permittitur* ea debilitatio, *non intenditur nec eligitur*."[2]

160. Itaque ratio hujus principii, quod attinet ad priorem ejus partem, est, quia si ita agere non liceret, id esset vel (a) propter *causam* ipsam positam, vel (b) propter malum *effectum* praevisum ex ea secuturum, vel denique (c) propter agentis *intentionem*. Jamvero nullum ex his dici potest. Namque in ipsa hypothesi ponitur (a), quod attinet ad *causam*, eam esse in se bonam, aut saltem indifferentem, et ideo licitam: ponitur (b), quod attinet ad *effectum*, adesse rationem proportionate gravem cur agere liceat, spectato etiam effectu isto malo ex actione secuturo: ac denique ponitur (c) *intentionem* agentis non esse inhonestam,[3] eo quod agens vel unice intendit effectum bonum, vel saltem non intendit effectum malum nisi quatenus plane liceat hunc effectum intendere, eo quod liceat eum adhibere ut medium effectus boni consequendi; quoniam

---

[1] Vid. Carriere, *De Justitia et Jure*, Part. 2. nn. 784, 794.
De Lugo, *De Justitia et Jure*, Disp. 10. sect. vi. nn. 148, 149.
[3] Vid. Gury, Part. i. n. 9.

enim, ut ait De Lugo,[1] "medium ipsum, licet non inintendatur ultimo a voluntate sistente in ipso, directe tamen eligitur et amatur, et aliquo modo intenditur, propter utilitatem et conducentiam quam habet ad finem ultimo volitum," ideo plane, quoties licet effectu malo ut medio sic uti, licet eundem ut medium intendere.

161. Insuper tres illas conditiones requiri sic ostenditur. Requiritur 1° ut *causa* sit ex se *bona*, aut saltem *indifferens*, et ideo *licita ;* nam si causa, etiam ex se, seu secluso etiam effectu malo secuturo, alicui legi adversatur, ex ipsis verbis patet nullam posse ejusmodi quaestionem oriri. Requiritur 2° ut adsit *ratio* agendi *proportionate gravis ;* ipsa enim naturalis aequitas exigit ut homines mala ejusmodi vitent, saltem quoties id sine damno proportionate gravi fieri possit. Requiritur 3° ut *agentis intentio* non sit *inhonesta ;* nam ut supra n. 158, expositum est, et latius infra videbimus, actio quaevis, quantumvis in se licita atque honesta, omnino inhonesta efficitur, si agens, in ea perficienda, inhonestum seu pravum finem sibi proponit.

162. Hactenus de priore parte principii n. 155. enuntiati. Quod ad alteram ejus partem attinet, in qua aliae duae conditiones recensentur, ea quidem, ut in ipsis verbis principii declaratur, intelligenda est de iis tantum casibus, nn. 152, 153, memoratis, in quibus malum secuturum adeo inhonestum est ut nulli unquam liceat in illud consentire, neque ut finem agendi, neque ut medium assequendae alius rei quantumvis bonae et honestae.

163. Consentiunt enim omnes TT. haud pauca ex iis quae sic prohibeantur ejusmodi esse ut ratio ob quam prohibeantur ne fiant *directe*, seu ex animo et intentione ea efficiendi, minime exigat ut prohibeantur ne fiant *indirecte*, seu quatenus, omnino praeter agentis inten-

[1] *De Justitia et Jure*, Disp. 10. sect. v. n. 125.

tionem, etsi ab eo praevisa, profluant ex actionibus quae, in se quidem licitae, perficiantur solum ob alios effectus bonos ex iisdem secuturos.

164. Res patet ex exemplo supra (n. 138.) tradito; etenim ratio prohibitionis ibidem exposita non respicit v.g. medicum, qui ad morbum gravem sanandum mulieri subministrat medicinam ex qua simul praevidet fore ut abortus, omnino praeter ipsius intentionem, sequatur. Ideoque docent TT. id licere.[1]

165. Omnino tamen hic servanda est distinctio quam tradit De Lugo.[2] "Quando pharmacum sumeretur directe ad sanitatem et vitam matris tuendam, distinguendum est . . . nam si non aliter conducat ad vitam matris, nisi quatenus causat abortum, jam tunc directe intenditur abortus, licet non intendatur propter se, sed propter alium finem . . . quo casu actio non est licita. Si vero pharmacum illud utile sit ad vitam matris, consequenter tamen, et praeter intentionem, causat abortum, tunc [quod ad hanc conditionem attinet] licitum erit illud remedium."—Et simili modo resolvit quaestionem de administranda medicina quae ex se tendit ad sanitatem, licet obiter etiam expellat semen: quod plane potest licitum esse, si effectus ille nullo modo intendatur; si vero medicina non aliter conduceret ad morbum sanandum nisi quatenus effectum illum turpem efficeret, tunc illicitum esset ejusmodi remedium applicare, quia effectus ille directe intenderetur, sin minus ut finis agendi, saltem ut medium sanitatis recuperandae.[3]

166. Eodem modo resolvendae sunt quaestiones quaedam de innocente occidendo, quatenus innocentis occisio spectatur ut res intrinsece mala, quam igitur nunquam *directe* efficere liceat.[4]

---

[1] Vid. v.g. Gury, Part. i. n. 402. Princip. II.
[2] *De Justitia et Jure*, Disp. 10, sect. v. n. 132.
[3] Vid. De Lugo, ibid. n. 126.
[4] Vid. supra, n. 153, *nota* 1

167. "De secundo modo occidendi innocentem, *indirecte*, et praeter intentionem, omnes," ait De Lugo, "conveniunt id aliquando ex causa gravissima licere. Exemplum commune est quando in bello ad obtinendam victoriam et expugnandos hostes, necesse est dirigere tormentum in arcem in qua innocentes aliqui simul cum nocentibus perire debent; in quo casu id licere concedunt omnes.

168. "Difficultas est in applicanda regula ad casus particulares. Et imprimis quaeri solet, quando injustus invasor, quem tu cum moderamine inculpatae tutelae occidere contendis, ut te defendas, protegit se opponendo tibi infantem innocentem, ne a te percuti possit, an liceat, si aliter eum non potes ferire, per ipsum etiam infantem oppositum eum petere? Negare videntur aliqui. Alii communiter et verius affirmant. Ratio est quia sicut actio ejus qui comburit innocentes in turri simul cum nocentibus licita est, quia ex intentione agentis solum tendit ad comburendos nocentes, licet hic et nunc non possit combustio horum separari a combustione illorum; sic actio qua homo petit invasorem injustum, ex intentione agentis solum tendit ad feriendum illum, licet hic et nunc non possit ictus ille non laedere simul innocentem intermedium, propter localem conjunctionem utriusque; ergo sicut combustio illa licita est, sic et ictus iste; utitur enim jure suo gladium dirigens ad nocentem per viam illam rectam; per accidens autem est quod in illo spatio intermedio inveniat etiam innocentem, propter quem in tali necessitate non debes abstinere ab actione, quae de se ordinatur solum ad tuam defensionem."[1]

169. Atque eodem modo resolvit alium casum ali-

---

[1] *De Justitia et Jure*, Diss. 10. sect. v. n. 123.

quatenus similem. "Quaeri solet an fugienti hostem et mortem liceat prosequi cursum, quando obvius est in angusto itinere infans, vel claudus, quem equi cursus conteret. Negant alii. . . Alii melius affirmant; et probatur ex dictis, quia actio illa, per se, et ex intentione agentis, non ordinatur ad occidendum infantem vel claudum jacentem, sed ad salvandam vitam propriam fugiendo per viam communem, ad quod habet jus, [adhibita utique diligentia omni quae potest in iis rerum adjunctis adhiberi, ad infantem vel claudum relinquendum incolumem]; et per accidens est quod sequatur damnum alteri, quod tu nec ut finem, nec ut medium eligis, sed velles non intervenire. Habet ergo se illa actio sicut combustio arcis, quae sine morte innocentium fieri non potest; quare non erit minus licita quam illa, quum non magis connexa sit, quam illa, cum morte innocentis."[1]

170. Hic tamen insuper servanda est distinctio n. 165. tradita: etsi enim in ejusmodi casibus sic agere licet, tamen non licet occisionem innocentis *intendere*, neque ut finem agendi, neque ut medium. "Si occideris innocentem," ait De Lugo,[2] "*volendo hoc ipsum, ut occidere posses nocentem*, jam directe velles et intenderes occisionem innocentis, quod quidem licitum nunquam est.[3] Unde in casu proxime adducto, si videns te non posse occidere invasorem, qui se infante protegit, nisi prius occidas infantem atque ita libere possis postea alio ictu hostem petere, et *ad hunc finem prius secare velis infantem*, actio illa erit illicita, quia ille ictus directe et per se tendit ad mortem infantis, quam *assumis ut medium ad occidendum* postea *hostem*. Sic etiamsi in bello justo habeantur in castris infantes filii hostium, non possunt hi occidi, ut pro liberandis filiis a nece parentes obsessi

---

[1] De Lugo, *De Justitia et Jure*, Disp. 10. sect. v. n. 127.
[2] Id. ibid. n. 125.
[3] Vid. supra, n. 153. *nota* 1.

sese dedant : quia jam *directe* occiderentur innocentes, licet eorum occisio ad alium finem ordinaretur.

171. "Requiritur ergo, ut licite fiat, quod neque ut finis, neque ut medium, eligas aut velis directe talem occisionem, sed solum indirecte, volendo causam, non propter conjunctionem quam habet cum tali effectu, sed cum alio, nempe cum occisione nocentis quem aliter offendere non potes : tunc enim vis actionem prout conjuncta est cum alio effectu licite volibili, ad quod per accidens est quod connexa sit etiam cum alio effectu, quem licite velle non potes."

172. Quum vero ex hactenus dictis satis constet ingenio haud parum acuto opus esse, ut omnes ejusmodi qui oriri possint casus sic resolvantur, operae pretium est investigare an regula aliqua generalis inveniri possit, qua adhibita quis facilius dignoscere valeat utrum in singulis casibus liceat actum perficere ex quo sequatur mors innocentis aut alius ejusmodi effectus quem directe intendere non liceat.

173. Quod, ni fallor, satis facile dijudicari potest si haec regula adhibeatur :—Censeatur actum, de quo agatur, perfici, et tamen per miraculum impediri quominus malus effectus eveniat, deinde (*a*) si bonus effectus nihilominus obtineri potest, constat malum effectum non esse medium illius consequendi, et ideo, quod ad hanc conditionem attinet, licere causam ponere : si vero (*b*), deficiente malo effectu, effectus bonus non potest obtineri, constat e contrario malum effectum esse medium illius consequendi, et ideo causam ponere non licere.

174. Sic v.g. in exemplis hactenus traditis, hac regula adhibita, statim perspicitur illicitum esse causam ponere, in casibus nn. 165, 170 recensitis, atque e contrario licitum esse, quod ad hanc conditionem attinet, causam ponere, in casibus recensitis nn. 164, 167, 168, 169.

175. Eademque adhibita regula, haud difficile erit

illam solvere quaestionem valde utique subtilem, quam alibi discutit De Lugo,[1] an liceat nempe " etiam ut hostem gladio transfigas, quem aliter percutere non potes, transfigere te simul lethaliter eodem ictu, v.g. si supinus jaceas super hostem qui te manibus tenet, ne assurgas, nec possis aliter eum occidere nisi immittendo gladium vel pugionem per tuum pectus, ut hoc ictu hostem etiam sub te jacentem confodias et occidas : " in qua questione resolvenda, in partem affirmantem inclinat, ea praesertim ratione innixus quod " actio tua directe tendit ad hostem occidendum ; quia sicut [in exemplo n. 168. tradito] corpus infantis in medio oppositum percutitur . . eo quod ictus et gladius tuus solum a te dirigitur ad petendum hostem, quem per aliud spatium non potes petere, nisi per illud in quo est infans, et tu uteris jure tuo petendi hostem, qua eum invenire potes ; ita quando per tuum pectus interjacens hostem petis, jus habes petendi hostem per illud spatium per quod solum potes eum petere, nec interjectio tui corporis aufert tibi illud jus, sicut non aufert illud interpositio corporis infantilis." Haec tamen intelligenda sunt eo sensu quod actus ille non fit illicitus ex eo quod agens directe se interficiat; quod enim attinet ad alias conditiones, praesertim vero ad *rationem proportionate gravem* quae adesse debeat ut liceat causam suae mortis sic ponere, merito notat De Lugo[2] difficilius posse rem in praxi admitti.

176. Ex hactenus expositis constat conditiones *quartam* et *quintam* in enuntiando principio traditas, omnino requiri in eo genere casuum de quo hic (nn. 162-175) sermo est.

177. Haud minus tamen luculenter ex antea (nn. 141-148) expositis constat eas nisi in casibus hujusmodi non requiri.

---

[1] *De Justitia et Jure*, Disp. 10. sect. i. n. 52.
[2] Id. ibid. n. 54.

178. Itaque quoniam hic agitur de principio tradendo generali, quo comprehendantur casus omnes, quotquot verbis principii exprimantur, et ideo non debet recenseri conditio aliqua nisi quatenus reipsa in quovis casu requiratur, plane necessarium erat, ut satis demonstrant exemplum n. 143. traditum et alia hactenus exposita, a communi TT. loquendi modo aliquatenus saltem recedere.

179. Principio sic exposito, tradendae sunt regulae quaedam, quarum ope facilius quis poterit in singulis casibus judicare num adsit ea ratio *proportionate gravis* quam exigit conditio secunda. At primo animadvertendum est hic non esse quaerendam regulam universalem qua possint resolvi casus omnes quotquot oriantur; etenim ii, ut ait Billuart,[1] infinitis prope modis diversificantur, ideoque opus est ut res, magna saltem ex parte, arbitrio prudentium et communi hominum sensui relinquatur. Quae ita statuuntur, de casibus saltem saepius occurrentibus, TT. tradunt in singulis Moralis Theologiae tractatibus, partim quidem in Tractatu de Charitate, ubi exponitur *communis* obligatio charitatis supra (n. 116.) memorata, partim etiam in Tractatibus de Justitia, de Temperantia, de Virtute Religionis, de Sacramentis, etc. etc., in quibus exponuntur *speciales* obligationes ibidem memoratae. Convenit tamen hic tradere quaedam hujus rei capita magis obvia.

180. *Regula Prima.* Praeter ipsius humanae libertatis usum, necessitatemque commercii inter homines servandi, alia non requiritur ratio ut licite fiat id ex quo praevideatur periculum alicujus mali secuturi, quoties (*a*) periculum istud non sit *probabile*, aut (*b*) causa tantum *remote* concurrat ad effectum malum.[2]—Secus enim vix unquam

---

[1] *Tr. de Justitia*, Disp. 8. art. xiii. § 6.
[2] Vid. Laloux, *Tr. de Act. Humanis*, Part. ii. cap. 4.

liceret quidquam perficere, atque actum esset tum de morali hominis libertate, tum de commercio fere omni inter homines servando; vix enim quidquam est quod inter homines fieri solet, ex quo periculum alicujus mali oriturum non potest praevideri. Quod egregie sic enarrat S. Augustinus:[1]—"Nec," ait, "reus est mortis alienae, qui possessioni suae murum circumduxerit, etsi aliquis ex ipsius ruinis percussus intereat. Neque reus est Christianus si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo aliquem occidat: aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis?" Deinde, aliis quibusdam interpositis, prosequitur:—"Alioquin nec ferramenta domestica et agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se vel alterum interimat; nec arbos aut restis, ne quis se inde suspendat; nec fenestra facienda est ne per hanc se quisque praecipitet? Quid plura commemorem, quum ea commemoranda finire non possim. Quid enim et in usu hominum bono ac licito, unde non possit etiam pernicies irrogari?"

181. Ceteros igitur casus respiciunt regulae quae sequuntur:—

182. *Regula Secunda.* Ut liceat facere illud, etsi in se omnino licitum, ex quo tamen effectus malus secuturus praevideatur, eo *major* requiritur ratio, *quo gravius* est *malum* sic praevisum.—Exemplum sumatur alicujus se adversus injustum aggressorem defendentis (*a*) cum periculo vulneris gravis, at non lethalis, illi infligendi; aut (*b*) cum periculo illius occidendi: etenim (*a*) prius illud saepe licet, etsi agitur de bonis tantum externis defendendis, etiam de iis quae minoris pretii sunt: alterum vero (*b*), nisi agatur saltem de iis bonis defendendis quae sunt pretii majoris, profecto non licet.[2]

---

[1] Epist. *ad Publicolam*, 47.

[2] Vid. Gury, Part. i. n. 379. (5°); Crolly, *De Justitia et Jure*. Vol. iii. nn. 198. et seq.

183. *Regula Tertia.* Item *major* requiritur ratio *si agens*, abstinendo quominus causam ponat, *impedire valet ne malum eveniat*, quam requiratur si *malum aliunde secuturum* est, etsi causa illa non ponatur. Sit exemplum alicujus locantis aedes aut agros haereticis qui in iis instituent suae sectae scholam aut templum, (*a*) quum alii adsunt id facturi si ille deneget; aut (*b*) quum praeter ipsum alius nullus id facturus adest. Item res illustratur exemplo cauponis hospitibus die jejunii carnes praebentis, (*a*) quum alii in eodem oppido caupones adsunt, id, si ille deneget, facturi; aut (*b*) quum alius istiusmodi nullus invenitur.

184. Utriusque regulae (nn. 182, 183) ratio eadem est, eaque ex iis desumpta quae supra (n. 129.) exposita sunt. Neque enim, ut ibidem vidimus, causam ullius mali ponere licet, nisi adsit ratio *proportionate gravis*, seu, aliis verbis, ratio *eo major, quo majus est incommodum ex licentia* sic concessa *proventurum*. Jamvero, ut patet, majus est incommodum illud quoties (*a*) gravius praevidetur malum ex actione secuturum; aut (*b*) agitur de iis rerum adjunctis, in quibus, nisi causa ponatur, nullo modo evenire potest malum quod ex ea posita secuturum praevidetur. Qui duo sunt casus quos respiciunt regulae 2ª et 3ª jam traditae.

185. Ex altera vero parte, statuendae sunt regulae quae sequuntur; namque, ut ex dictis sequitur, ratio *eo minor* hic sufficit, *quo majus* est *incommodum* secuturum *ex obligatione* imposita; jamvero incommodum haud sane exiguum est coarctari moralem hominum libertatem in iis rerum adjunctis quae regulis 4ª, 5ª, 6ª et 7ª, attinguntur, aut, quod ad regulam 8ªm attinet, exigere ut ea omittantur quae, quum lege praecipiantur, omitti nequeant quin ideo minus bene prospiciatur disciplinae atque legibus servandis. Sit igitur

186. *Regula Quarta.* Eo *minor* sufficit ratio *quo*

causa magis remote confert ad malum efficiendum. Sic v.g., ait Laymann[1], fundere characteres aëneos facile cuivis concessum est, etsi aliqui his abusuri sint ad haeresim propagandam, longe autem gravior causa atque necessitas requiritur ut liceat characteres ordinare ad haereticorum libros imprimendos. Iterum potest res illustrari exemplo eorum qui magis minusve remote concurrunt ad peccatum ebrietatis ; qui arma conficiunt, vendunt, etc., etc.[2]

187. *Regula Quinta.* Ratio *minor* sufficit *si effectus tantum probabiliter*, quam si *certo, secuturus praevidetur ;* item ratio *eo minor* sufficit, *quo minus probabiliter* secuturus effectus praevidetur. Hic adhiberi possunt exempla quae ad alias regulas illustrandas traduntur.

188. *Regula Sexta.* Item *minor* sufficit ratio si agitur de illis *qui speciale jus habent causam ponendi.* Sic v.g. sacramentum petere a ministro qui in eo conferendo peccaturus praevidetur, omnino illicitum est nisi adsit notabilis quaedam causa excusans, v.g. si urgeat praeceptum confessionis vel communionis, aut si ex dilatione sacramenti immineat periculum lapsus, et alia hujusmodi.[3] Attamen multo minor sufficit ratio si minister de quo agitur sit v.g. parochus petentis ; quum enim parochus ex justitia teneatur sacramenta suis subditis ministrare, ii vicissim jus habent petendi ut sacramenta sibi ministrentur. Itaque, ait Suaresius,[4] " quia ipsamet sacramenta sunt per se valde utilia animae, ideo haec ratio per se sufficiet, moraliter loquendo, ut liceat sacramentum petere a ministro, qui *ex officio* tenetur, . .

---

[1] Lib. ii. tract. iii. cap. xiii. n. 5.

[2] Vid. Gury, i. 689, (1°). De annotatione P. Ballerini ibidem adjecta, vid. Crolly, *De Justitia et Jure,* vol. iii. nn. 891 et seq.

[3] Vid. S. Alph., Lib. 6. tract, 1. *De Sacramentis in Genere.* n. 89 ; Gury, Part. ii. n. 233, Quaer. 4°.

[4] *Tract. de Sacramentis in Genere,* Disp. 18. sect. i. n. 14.

etiamsi in peccato sit ministraturus, si non est alius qui sine peccato ministret."

189. *Regula Septima.* Ratio *minor* sufficit si agitur de illis *qui nullo officii munere istud malum praecavere tenentur*, quam si agitur de iis quorum munus est illud praecavere. Sic v.g. causa quae sufficit ut ceteris liceat arma praebere iis qui praevidentur iisdem abusuri ad furtum aut ad homicidium patrandum, nequaquam sufficit ut hoc liceat satellitibus aut aliis ministris justitiae.

190. *Regula Octava.* Denique *minor* sufficit ratio si causa, de qua agitur, est aliquid *lege praeceptum*, quam si est aliquid *omnino sponte suscipiendum.* Exemplum sit alicujus qui praevideat se non posse e domo egredi ad Missam audiendam, quin alii praebeat occasionem peccandi, quum agitur (*a*) de die festo in quo Missam audiri praecipitur, aut (*b*) de aliquo alio die quo, nullo urgente praecepto, Missam audire voluerat. Etenim TT. statuunt (*a*) charitatem vix unquam obligare ad praetermittenda ea quae lege praecipiantur, adeo etiam ut quaevis fere ratio, v.g. vel leve incommodum, sufficiat ad ejusmodi obligationem, quoties adsit, tollendam ; at vero (*b*) omnino consentiunt hanc virtutem haud raro obligare ad praetermittenda ea, etiam pietatis, opera quae nulla lege praecipiantur, adeo ut si alteri praebeatur occasio peccandi, ea praestare non liceat, nisi ratio aliqua gravis ab illa obligatione excuset.[1]

191. Hactenus de obligatione quam supra (nn. 82, 99.) memoravimus. Quae omnia qui fusius exposita atque exemplis illustrata videre cupiat, adeat prae ceteris, Laymann, Lib. 2. tract. iii. cap. 13 ; Sanchez, *In Praecept. Decal.*, Lib. 1. cap. 7 ; Lacroix, Lib. 2. *De Charitate*,

---

[1] Vid. v.g. S. Alph., Lib. 3. tract. 3. *De Praecepto Charitatis*, nn. 50 et seq. ; Gury, Part. i. nn. 235, 236.

Dub. v. art. 3; Sporer, Tract. 5. *In* 5. *Praecept. Decal.*, cap. i. sect. 3; S. Alph., Lib. 3. tract. iii. *De Praecepto Charitatis*, Dub. 5; Gury, Part. i. nn. 234-256; Laloux, *Tr. de Act. Hum.*, Diss. 8, atque in Examine, in calce ejusdem operis subjecto.

192. **Resolves.** 1° Si *causa* alicujus effectus illiciti ipsa *ex se illicita* est, duplex illa inhonestas potest agenti in culpam imputari. Sic v.g. qui se inebriat praevidens periculum homicidii inde oriturum, duorum peccatorum reus est, alterius contra *temperantiam*, cui adversatur ebrietas, alterius contra *justitiam*, cui adversatur homicidium.[1] Item, qui, sciens et volens, per actus frequentatos contrahit consuetudinem, v.g. blasphemandi, dupliciter peccat; cuique enim ejusmodi actui, praeter suam malitiam, inest malitia voluntarie contrahendae consuetudinis unde profluent blasphemiae quae vix fortasse numerari possunt.[2] Hae duae malitiae, quae eidem virtuti religionis adversantur, dicuntur *ejusdem* esse *speciei*; in priore autem exemplo, malitiae, quum diversis virtutibus repugnent, *speciei* dicuntur esse *diversae*.

2° Si causa *ex se* est tantum *venialiter* illicita, atque *leviter* tantum in effectum influit, obligatio ab ea abstinendi est tantum *levis*, seu *sub veniali*; etenim effectus, quum non sit voluntarius nisi *in causa*, quae, ex hypothesi, leviter tantum in eum influit, profecto nequit esse in causa culpabilis nisi leviter, seu sub veniali, tantum; seu, aliis verbis, non potest esse nisi levis obligatio abstinendi quominus causa ponatur.[3]

3° Reatus peccati, sive commissionis sive omissionis, *in causa* voluntarii tunc incurritur quando voluntarie ponitur causa in qua voluntarium est. Sic v.g. si quis

---

[1] Vid. Laymann, Lib. i. tract. 2. cap. iii. n. 5.

[2] Vid. Laymann, Lib. i. tract. 2. cap. iii. n. 6; Sporer, Tract. 1. cap. ii. n. 25.

[3] Vid. Lacroix, Lib. 5. *Tr. de Peccatis*, n. 46; Billuart, *Tr. de Temperantia*, Diss. vi. art. 12.

Breviarium in mare projiciendo causam ponit Officii postea per diem omittendi, eo ipso peccat adversus praeceptum Officii recitandi: item qui die Dominica summo mane se somno dat, praevidens periculum Sacri ea die omittendi, eo ipso peccat adversus praeceptum Ecclesiae.[1]—Ideoque eodem modo incurritur reatus hujus peccati sive postea eveniat sive non eveniat malum cujus periculum praevidetur.

4° Insuper vero in culpam imputari potest, tanquam *in se* voluntarius, effectus si postea eveniat quando agens, si velit, possit illum impedire. Sic v.g. si quis, postquam somno se dedit praevidens periculum Missae omittendae, deinde e somno expergefactus, adeo ut possit, si velit, Missam audire, tamen domi voluntarie manet, profecto reus est duorum peccatorum adversus ecclesiae praeceptum.[2]

5° Neque tamen alterius istius peccati *in se* voluntarii reus est, si effectus postea ita evenit ut jam non possit eum impedire. Ejusmodi v.g. est homicidium patratum ab ebrio;[3] aut Horarum omissio in eo qui postquam Breviarium voluntarie abjecit, eas postea, quantumvis velit, tamen recitare omnino non potest.—Neque enim voluntaria sunt ea quando sic eveniunt; quod si voluntaria aliquando dicuntur, id intelligendum est de voluntario, ut aiunt, *denominative* tantum, quatenus voluntarium *dici* potest id omne quod *in causa* voluntarium est. Num vero (*a*) rationem *peccati* habeant effectus ejusmodi sic evenientes; utrum (*b*) sit *obligatio eos confitendi*, an sufficiat confiteri ipsam causam, v.g. ebrietatem, atque periculum effectus, v.g. homicidii, satis praevisa; utrum denique (*c*) spiritualis *poena*, v.g. excommunicatio, suspensio, etc., quae aliquando ejusmodi peccatis annec-

---

[1] Vid. Laymann, Lib. i. tract. 2. cap. iii. n. 6.
[2] Vid Perin, *Tr. de Act. Hum.*, Quaest. ii. art. 4.
[3] Vid. Perin, ibid; Lacroix, Lib. i. *Tr. de Legibus*, n. 757.

titur, incurratur tunc quando ponitur causa, an postea quando effectus eveniant, haec omnia disputant TT. in Tractatibus de Peccatis, de Poenitentia, et de Censuris.[1]

6° Quum hactenus dicta respiciant non solum eos qui *agendo* causam effectus mali *ponant*, sed eos etiam qui causam existentem *auferre praetermittant*, sequitur aliquem v.g. excommunicatione innodatum et ideo incapacem adimplendi praecepti communionis Paschalis, quamdiu absolutionem petere voluntarie praetermittat peccare adversus illud praeceptum, quod sane obligat non solum ad Eucharistiam tempore Paschali suscipiendam, sed etiam ad auferenda ejusmodi saltem obstacula seu impedimenta communionis suscipiendae.[2]—Idem dicendum videtur de eo, qui, carcere inclusus, v.g. propter aes alienum non solutum, ideo non potest praecepto communionis satisfacere; qui, si par sit solvendo, peccat, non solum adversus virtutem *justitiae*, qua quivis ad debita solvenda obligatur, sed etiam adversus virtutem *religionis*, ex cujus motivo praeceptum communionis Paschalis ab Ecclesia impositum est.[3]

7° Itaque patet vix ullo modo posse a culpa immunes censeri eos, (nn. 42, 105.) qui peccandi, v.g. blasphemandi, consuetudine obcaecati atque abrepti, tandem eo deveniant ut sine ulla, ut videtur, advertentia malitiae, blasphemias fere innumeras quotidie profundant. Neque enim doctrina supra (Resolv. 1°) tradita rem satis explicat; namque, ut animadvertit Laymann,[4] principium illud profecto non ostendit in culpam imputari debere blasphemias ex consuetudine sic exorta profluentes, nisi agitur de illis qui, quum consuetudinem blasphemando

---

[1] Vid. Viva, *Opusc. Theol. Moral.* I., Quaest. i. art. 4; Lacroix, Lib. 5, *Tr. de Peccatis*, nn. 41-6; Gury, Part. ii. n. 490.

[2] Vid. S. Alph., Lib. 6. Tract. 3. *De Eucharistia*, n. 299.

[3] Vid. S. Alph., ibid.; Laymann, Lib. i. Tract. 2. cap. iii. n. 8; Lacroix Lib. 5. *Tr. de Peccatis*, n. 137.

[4] Lib. i. tract. 2. cap. iii. n. 6.

inducerent, simul etiam animadverterint sic efformari consuetudinem, quae futura esset causa blasphemiarum in quas postea, ea abrepti, erumperent. Jamvero, ut scite animadvertit P. Ballerini,[1] "vix in praxi reperies homines ad hoc advertisse, praesertim si a pueris habitum contraxerint; insuper, etiamsi quis advertat periculum, tamen quum non habeat propositum frequentandi actus, imo sibi polliceatur alias se non blasphematurum, aegre hunc reatum invenies." "Attamen," ut clarissimus ille auctor rem prosequitur, "licet reatus ex hac parte deficeret, in eo tamen certe habetur, quod quis *negligat emendare* consuetudinem, quam sub gravi tollere tenetur; et haec quidem negligentia sufficit ut actus sint [*in causa*] voluntarii, sicut sunt effectus omnes omissionis nobis voluntariae, quum scilicet non removemus causam ad quam removendam tenemur. Et sic patet quomodo voluntarius sit consuetudinis reatus, licet defuerit advertentia ac reatus in ipsa consuetudine contrahenda."[2]

8° "Ex his," ut idem subjungit, "pronum est de hisce judicium ferre. Nam vel blasphemiae non proferuntur indeliberate (neque enim consuetudo efficit ut *omnes* actus sint indeliberati), et jam reatum *in se* habent, utpote *in se* voluntariae." Et hic cum S. Alphonso et communiore TT. sententia statuendum videtur plerumque evenire ut ejusmodi etiam peccatores, quantumvis corrupti et excaecati, satis advertant ad malitiam saltem plurimorum ex suis actibus, qui igitur peccata sint et quidem mortalia[3]—Tamen ex natura rei satis patet peccata *omissionis* posse multo facilius quam peccata *commissionis* in ejusmodi peccatoribus sine advertentia malitiae evenire.

---

[1] Vid Gury (Ed. Rom.), Part. i. n. 300, (3°), nota (*a*).
[2] Vid. etiam S. Alph., Lib. 2. *Tr. de Act. Hum.*, Art. ii. n. 14.
[3] Vid. S. Alph., Lib. 4. Tract. 2. *De Secundo Praecepto Decalogi*, n. 127; Lacroix, Lib. 5. *Tr. de Peccatis*, n. 21. Cf. Ballerini, in Gury. Ed. Rom. part. i. n. 300 (3°), nota (*b*).

9° "Quando vero [effectus istiusmodi consuetudinis peccandi]," pergit P. Ballerini, "sint plane indeliberati, excusari penitus a peccato continget, si quis serio conetur consuetudinem auferre. Ratio est quia reatum *in se*, ut diximus, non habent, sed habere possunt tantum *in causa*. Porro vel causa intelligitur pristina actuum frequentatio, unde consuetudo inducta est: et hic reatus per retractationem seu poenitentiam jam sublatus est; vel intelligitur causa *indirecta*, scil. negligentia removendae consuetudinis; et haec pariter abest, quum supponamus hominem ad tollendam consuetudinem serio intentum."[1]

10° Ex pluribus exemplis supra traditis, satis patet ea omnia quae hactenus exposita sunt de actibus voluntatis, ex quibus profluunt effectus voluntarii *in causa*, intelligi debere tum de peccatis quae *commissionis* dicuntur tum de iis quae dicuntur *omissionis*. Neque enim unquam voluntaria omissio reipsa fit sine aliquo saltem voluntatis actu.[2]

11° Itaque voluntaria censeri nequit omissio alicujus actus de quo agens omnino non cogitat; hujus enim omissionis advertentia plane deest; v.g. si quis ideo non audit Missam die festo, quia omnino non cogitans diem festum esse, minime cogitat de Missa audienda. Neque voluntarii, neque culpabiles, censeri possunt effectus, ne ii quidem qui ex voluntaria aut ex culpabili omissione proveniunt, nisi adsint conditiones nn. 79, 88,

---

[1] Vid, etiam Laymann, Lib. i. tract. 2. cap. iii. n. 6.

[2] Etenim hic omnino praetermittimus omissionem istam (n. 61.) quam *puram* vocant. Namque etsi concedatur ejusmodi posse omissionem esse, atque adeo etiam ut possit *voluntaria* censeri, tamen non est cur hic sermonem de ea instituamus; neque enim negari potest id quod ait Suaresius, ipse subtiliter propugnans ejusmodi posse omissionem fieri, saltem tam difficile esse voluntati sic passive se habere, ut etiamsi illud *physice* possibile sit, tamen *moraliter* sit impossibile, adeo ut "raro," ac "fere nunquam," immo fortasse "nunquam," accidat. Vid. Suarez, *Tr. de Vitiis et Peccatis*, Disp. 3. sect. ii. nn. 6, 8.

recensitae. Sic v.g. in exemplo allato, etiamsi defectus advertentiae proveniat ex eo quod quis a Missa abfuerit die Dominica, quando parochus Missam celebrans nuntiavit diem festum in eadem hebdomada eventurum, nequit tamen voluntaria, ne in causa quidem, censeri omissio diei festi servandi, quae inde provenit, nisi aliquo modo ille adverterit ad periculum hujusmodi effectus ex culpabili Missae omissione oriturum. Vid. supra, n. 112.

12° Voluntariae[1] sunt blasphemiae, impudicitiae, rixae, aut injustitiae, quae in ebrietate fiunt, quando praevideri possunt (n. 108.); atque vix fieri potest quin satis, quantum ad hoc sufficit (n. 94.), ad illa advertant ii quorum est consuetudo talia in hoc statu peragendi.[2]

13° Non peccat belli dux qui tempore obsidionis, ad arcendum hostem, incendat agros, etc., etsi damnum haud exiguum inde patiantur incolae innocentes; neque si incendat turrim, in qua simul cum hostibus forte peregrini includuntur belli non participes. Nam in utroque casu actus, ex quo damnum istud profluit, bonus est aut saltem indifferens; atque adest agendi ratio proportionate gravis, eadem nempe qua licitum est ipsum bellum inire. Non tamen licet delectari in damno civibus inde proventuro, nec ullo modo illud intendere, ne ut medium quidem finis assequendi; neque enim damnum revera ejusmodi medium est, sed potius est malum aliquod simul eventurum ex actione quae perficitur solum ob alterum effectum, damnum hostibus infligendum, qui aeque immediate ex ea provenit.[3]

14° Non peccat sacerdos qui ministret Communionem

---

[1] Quae sequuntur (Resolv. 12°-17°). paucis quibusdam aliquatenus immutatis, fere ad verbum exscripta sunt ex iis quae tradit Gury (Part. i. n. 10, Resolv. 2°-7°).

[2] Vid. Lacroix, Lib. 5, *Tract. de Peccatis*, nn. 30 et seq.

[3] Vid. supra, nn. 159, 165, 173.

occulto peccatori *publice petenti*,[1] quia quamvis sacrilegium illius qui SS. Eucharistiam indigne suscipit malum horrendum est, tamen adest ratio proportionate gravis cur sacramentum in his rerum adjunctis ministretur; etenim damna multa graviora orirentur si sic ministrandum non esset; ex quibus hoc praecipuum est, quod si sacerdotes deberent, immo si licite possent, sacramentum alicui *publice* petenti denegare ob *occultum* peccatum, evenire posset ut fideles etiam omnino digni qui accederent ad Communionem suscipiendam, tamen ex odio aut imprudentia sacerdotis aliquando rejicerentur, quod quidem timentes, quum sine magno famae detrimento fieri non posset, fideles deterrerentur ne ad sacramentum accederent.[2]

15° Si gravis aliqua causa adest, v.g. notabilis utilitas,[3] non peccat ille qui, pecunia egens, nec aliunde habere valens, mutuum petat ab usurario lucrum injustum exacturo; quia pecuniam mutuari (quod profecto non est *per se*, sed *per accidens* tantum, causa malae voluntatis usurarii) est actus in se omnino indifferens; atque ratio proportionate gravis, cur liceat, invenitur in eo quod si prohiberetur, incommodum omnino nimium imponeretur iis qui pecunia egent. Verumtamen ii qui mutuum sic petunt, nisi adsit causa hujusmodi satis gravis, peccant, et quidem dupliciter (n. 116.), saltem secundum sententiam probabiliorem: tum adversus *charitatem*, quum usurario praebeatur occasio peccandi; tum adversus *justitiam*, cui opponitur peccatum illud, injusti lucri exigendi, cujus occasio praebetur.—Denique sive adest sive non adest sufficiens ratio ut liceat hujusmodi petenti occasionem praebere, nunquam sane licet in peccato usurarii delectari, neque malum istud ullo modo, ne ut medium

---

[1] Vid. v.g. Gury, Part. ii. n. 218. Reg. III.
[2] Vid. S. Alph. Lib. 6. Tract. 1. *De Sacramentis in Genere*, n. 49.
[3] Vid. S. Alph., Lib. 3. Tract. 3. *De Praecepto Charitatis*, n. 49 in fin.

quidem, intendere; nam non illud, sed pecunia mutua ab eo data, reipsa medium est quo obtinetur finis quem agens sibi proponere debet, suas nempe res adversas sublevare.

16° Peccat graviter puella quae ex suo delicto gravida abortum procurat ad vitandam infamiam. Ratio, ait Gury,[1] est quia non adest causa sufficiens, seu proportionate gravis, ejusmodi damnum proli inferendi. Quae quidem ratio, in communi TT. sententia, sensu supra (n. 138.) exposito intelligenda est, quod nunquam possit esse ratio sufficiens, seu proportionate gravis, abortus ita procurandi.

Ex iisdem principiis alii fere innumeri resolvuntur casus, praesertim in Tractatu *de Charitate*, ubi agitur de Scandalo, et de Coöperatione sive ad alterius peccatum sive ad damnum proximo inferendum. Huc insuper spectant quae tradit Gury, *Casus Conscientiae*, Part. i. Casibus 1°, 2°, 4°, et 5°.

ARTICULUS III.

DE LIBERO.

193. **Definitio.** Quum *libertas in genere* sit *immunitas a vinculo seu subjectione*, tot sunt ejus species distinguendae quot sunt vincula a quibus quis liberari possit. Triplicem solent SS. Patres recensere libertatem; *gloriae*, *gratiae*, et *naturae*.

194. *Libertas gloriae*, quae est immunitas a miseria, corruptione, ac morte, est tantum Beatorum in coelis triumphantium: ea est de qua loquitur Apostolus (Rom. viii. 21): "et ipsa creatura *liberabitur a servitute corruptionis*, in *libertatem gloriae* filiorum Dei." *Libertas gratiae* est immunitas a peccato: hac fruuntur omnes et

---

[1] Part. i. n. 10, Resolves 6°.

soli justi: de ea loquitur Apostolus (Rom. vi. 18.) "*liberati* autem *a peccato*, servi facti estis justitiae." *Libertas* denique *naturae* est immunitas a determinatione ad unum, atque in eo ponitur quod quis inter duo aut plura objecta ita constituitur ut quodlibet ex iis, ceteris praetermissis, eligere valeat. De hac libertate, qua fruuntur omnes homines viatores, sermo est in textibus infra (n. 205.) citandis.

195. Libertas *naturae*, quae sola hic expendenda est, duplex distinguitur: *libertas a vi* seu *coactione*, et *libertas a necessitate*.

196. Libertas *a coactione* est immunitas ab *extrinseca* determinatione ad unum,[1] adeo ut agens *sponte* agat. Hac libertate fruuntur Beati in coelis Deum diligentes: etsi enim necessario Deum diligunt, haec tamen necessitas non provenit a vi externa, sed ab *intrinseca* ipsius voluntatis inclinatione.[2] Aliquando igitur haec dicitur libertas *spontaneitatis*.

197. Libertas *a necessitate* (quae etiam dicitur *electionis*, *arbitrii*, et *indifferentiae*,) est immunitas ab omni vel *intrinseca* determinatione ad unum, adeo ut, positis omnibus ad agendum praerequisitis, facultas sit agendi vel non agendi. Hoc sensu, ut philosophi demonstrant, atque docet fides Catholica, libere agunt homines viatores, non ita tamen ut sic libere prosequantur bonum in genere spectatum; neque Beati in coelis Deum hoc sensu libere diligunt: etsi enim in utroque casu actus ii eliciuntur immunes ab omni vi extrinseca illata, in utroque tamen voluntas ex naturali sua inclinatione ineluctabiliter determinatur[3] ad amplectendum objectum quod ab intellectu exhibetur ut sub omni ratione bonum.

---

[1] Vid. infra, n. 344.
[2] Vid. supra, nn. 10-12.
[3] Vid. antea, nn. 10-12.

198. **Divisio.** Haec *indifferentiae* libertas triplex distinguitur: libertas *contradictionis*, *contrarietatis*, et *specificationis.*

199. Libertas *contradictionis* est facultas eligendi utrumlibet e duobus *contradictoriis*, quae, ut haec divisio communius intelligitur, sunt aliquid *velle*, et idipsum *non velle.* Sic v.g. Deum *amare*, Deum *non amare.* Libertas *contrarietatis* est facultas eligendi inter duo *contraria*, quae sunt (*a*) aliquid *velle*, et idipsum actu positivo *nolle*, ut v.g. Deum *amare*, *nolle* Deum *amare;* aut (*b*) *velle* aliquid, atque *velle oppositum*, ut v.g. Deum *amare*, Deum *odio habere.* Libertas *specificationis* est facultas eligendi inter duo aut plura, quae *diversae* sunt *speciei*, non tamen opposita. Sic v.g. Deum *amare*, in Deum *credere.*—Ita quidem, ut jam diximus, communius exponitur haec divisio. Ii vero qui negant posse eam fieri omissionem (n. 61.) quae *pura* vocatur, ideo *contradictoria* statuunt esse haec duo, aliquid *velle*, et idipsum positivo actu *nolle*, v.g. *amare* Deum, *nolle* Deum *amare;* ac deinde *contraria* statuunt, *velle* aliquid, et *velle* ejusdem *oppositum*, ut v.g. Deum *amare*, Deum *odio habere.*[1]

200. Fides Catholica docet hominem, etiam in hoc statu naturae lapsae, vera praeditum esse libertate indifferentiae seu libero arbitrio: quod his verbis Concilium Tridentinum definivit, damnando errorem oppositum: "Si quis liberum arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit; aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in ecclesiam; anathema sit." (Sess. vi. *De Justificatione*, can. 5.)

201. Errores huic doctrinae oppositi ad duo praesertim genera revocantur.

202. Primum Novatores, ad quorum haeresim dam-

Vid. v.g. Haunoldus, *Theol. Speculativa*, Lib. ii. tract. i. cap. iii. n. 228.

nandam canon ille editus est, docuerunt naturam hominis tam fuisse per lapsum protoparentum vitiatam ut liberum arbitrium omnino extingueretur atque amitteretur, adeo ut homo, sicut calamus in manu scribentis, aliquando a Deo moveretur, aliquando vero a daemone. Quorum tamen nonnulli,[1] praesertim inter Lutheranos, hoc docebant de iis tantum actibus qui ad justificationem aut ad damnationem spectarent, agnoscentes hominem liberum esse in rebus civilibus atque politicis.[2]

203. Post haeresim Novatorum sic damnatam, Jansenistae systema suum excogitarunt, nomen quidem liberi arbitrii retinentes, ut sic eluderent anathema a Concilio latum, rem vero ipsam, haud minus quam Novatores, omnino e medio auferentes. Fingebant enim duas, quas vocabant, *delectationes relative victrices*, alteram *coelestem* seu delectationem *gratiae*, alteram *terrenam* seu delectationem *concupiscentiae*, quae in hominem ita influerent, ut necessario eum adigerent aut ad malum aut ad bonum, prout delectatio haec vel illa potentior urgeret.[3] Sic homo constitueretur liber quidem a *coactione*, seu ab omni vi extrinsecus illata atque ad agendum aut ad non agendum determinante contra voluntatis inclinationem; omnino autem subjaceret *necessitati*, quum ejusmodi essent delectationes istae, ut, prout haec vel illa esset potentior, non posset homo hanc vel illam partem non amplecti.[4]—Insuper, quoniam non negabant, id quod expresse definivit Tridentinum,[5] hominem, etiam in hoc statu naturae lapsae, reipsa mereri, ideo, velut corollarium doctrinae hactenus expositae, docebant

---

[1] Vid. Bellarminus, *Controversiae*, De Gratia et Libero Arbitrio, Lib. iv. cap. 5.

[2] Ita Confessio Augustana, Art 18. Vid. Bellarm. ibid.

[3] Vid. Perrone, *Praelectiones Theologicae, Tr. de Gratia*, n. 259; Murray, *Tract. de Gratia*, Disp. vii. n. 12.

[4] Vid. v.g. Murray, *Tract. de Gratia*, Disp. vii. n. 12.

[5] Sess. 6. *De Justificatione*, cap. xvi.; et can. 26, 32.

libertatem a *coactione* sufficere, et ideo negabant libertatem a *necessitate* requiri, ad merendum aut ad demerendum, in hoc statu naturae lapsae.

204. Doctrinam Catholicam stabilire adversus hos errores ad Theologiam Dogmaticam spectat. Vid. AA. in Tractatu de Gratia. Hic tamen abs re non videtur quaedam capita argumentandi indicare.

205. Itaque res conficitur 1° ex Scripturis;[1] etenim multis in locis affirmatur, aut aliis modis haud minus diserte indicatur, omnino ex ipsius hominis arbitrio pendere, etiam in praesenti statu naturae lapsae, ut bene aut male agat. Sic v.g. (Deut., xxx. 19.); "Testes invoco hodie coelum et terram, quod *proposuerim vobis* vitam et mortem, benedictionem et maledictionem: *elige* ergo *vitam*, ut et tu vivas et semen tuum."—Item (Josue, xxiv. 14, 15.): "Nunc ergo timete Dominum et servite ei . . Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, *optio vobis datur: eligite* hodie quod placet."—Iterum (Eccli., xv. 14); "Deus ab initio constituit hominem, et *reliquit illum in manu consilii sui.* Adjecit mandata et praecepta sua: si volueris servare mandata, conservabunt te . . . Ante hominem vita et mors, bonum et malum; *quod placuerit ei, dabitur illi.*"—Atque (ibid. xxxi. 8-11.): "Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit; nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui *potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit.* Ideo stabilita sunt bona illius in Domino: et eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum."—Neque haec, ut patet, intelligi possunt de hominibus a *coactione* tantum liberis, subjectis vero *necessitati:* nam si voluntas, sive *coactione* sive *necessitate*, ad unum deter-

[1] Vid. Murray, *Tract. de Gratia*, n. 18.

minaretur, haud minus veritati repugnarent tot Scripturarum dicta, quae homines exhibent ab omni istiusmodi determinatione immunes.

206. Idem 2° ostendit ratio theologica quam sic profert S. Thomas: "Haec opinio [eorum qui docebant voluntatem hominis ex *necessitate* moveri ad aliquid agendum] est haeretica; tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit quod vitare non possit . . . Non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiae moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum, et punitio, et laus, et vituperium, circa quae philosophia moralis consistit."[1]

207. Unde Tridentinum, canone supra (n. 200.) citatc sententiam Novatorum, ipsorum verbis expressam, damnavit ut *haereticam*. Neque Jansenistae reipsa eludunt anathema Tridentini. Concilium enim, definiens doctrinam Catholicam, declarat se loqui de libertate veri nominis, atque negat "rem esse de solo titulo," aut "titulum sine re." Porro vix potuit verbis aptioribus uti ad excludendam sententiam quam postea Jansenistae, etsi, ut videtur, ad hanc damnationem evitandam, excogitarunt.[2] Neque igitur mirum est a Romanis Ponti-

---

[1] *De Malo.* Quaest. 6. art. unic.

[2] Neque Jansenistae reipsa alio sensu quam Novatores negabant liberum hominis arbitrium; namque ne ipsi quidem Novatores negabant hominis voluntatem immunem esse a *coactione*. Quod patet v.g. ex verbis ipsius Lutheri: (*Lib. de Servo Arbitrio*) "Sequitur nos necessario operari; *necessario* dico, non *coacte*. . . . Voluntas mera lubentia, et pronitate, ac sponte sua, vult et facit, non *coacte*, pro natura voluntatis, quae si cogeretur, voluntas non esset; nam *coactio* potius est, ut sic dicam, *noluntas*." Atque Calvinus (Lib. 2. *de Libero Arbitrio*): "Si *coactioni* opponitur libertas, liberum esse arbitrium et fateor et constanter assevero, ac pro haeretico habeo quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non *cogatur* aut violenter trahatur externo motu, nihil moror." De his vid. Perrone, *Praelect. Theologicae, Tr. de Gratia Christi*, n. 282, nota 2°; Billuart. *Tract. de Act. Hum.*, Dist. ii. art. 4; Murray, *Tract. de Gratia*, Disp. vii. nn. 12-54.

ficibus Innocentio X. et Alexandro VII. damnatam esse ut *haereticam* hanc tertiam e quinque Jansenii propositionibus: "Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione."

208. Accedunt propositiones quaedam aliae a Romanis Pontificibus damnatae. Sic v.g. inter propositiones Baii damnatas a S. Pio V. et a Gregorio XIII. invenitur haec 39ª: "Quod voluntarie fit, etiamsi *necessario* fiat, libere tamen fit;" item 66ª: "*Sola violentia* repugnat libertati hominis naturali;" atque 67ª: "Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod *necessario* facit." Verae igitur sunt propositiones his contradictoriae, seu, aliis verbis, homo liber est non solum a *coactione* sed insuper a *necessitate*.

209. De solvendis difficultatibus quas hic afferre solent adversarii, videantur TT. qui de re dogmatica tractant.[1]

210. Quum ex dictis constet hominem esse eo sensu liberum quod eligere valeat aut bonum morale aut malum seu peccatum, inspiciendum est quo sensu TT. negent potentiam peccandi esse de *ratione*, seu de *essentia*, liberi arbitrii.

211. Rem sic tradit S. Thomas: "Posse peccare non est *de ratione liberi arbitrii*, sed consequitur liberum arbitrium *secundum quod est in natura creata*." Et quidem non profluit haec potestas nisi ex quodam defectu seu imperfectione: neque enim voluntas potest malum amplecti, nisi sit prius apprehensum ut sub aliqua ratione bonum: et ideo non potest ipse Deus peccare, neque Beati in coelis. Quoniam vero homines viatores haud raro peccatum apprehendunt sub ratione boni, ideo potentia peccandi omnino essentialis est arbitrio libero sicut in hominibus invenitur.

---

[1] Vid. v.g. Perrone, *Prael. Theol.*, *Tr. de Deo Creatore*, Part. 3. *De Homine*, Cap. 5. propp. 1, 2.; *Tr. de Gratia Christi*, nn. 267 et seq.; Murray, *Tract. de Gratia*, Disp. vii. nn. 32 et seq.; Bellarminus, *Controversiae*, De Gratia et Libero Arbitrio, Lib. 3. cap. 6.

ARTICULUS IV.

DE OPPOSITIS VOLUNTARII ET LIBERI.

212. Quoniam duo, ut supra (n. 35.) vidimus, ad voluntarium requiruntur, advertentia intellectus atque voluntatis consensus, ideo voluntario adversari dicuntur ea omnia quibus unum aut alterum ex his duobus minuitur aut tollitur. Ejusmodi impedimenta voluntarii solent quatuor recenseri: *ignorantia*, *concupiscentia*, *metus*, et *vis* seu *violentia*.

§ 1. *De Ignorantia.*

213. **Definitio.** *Ignorantia*, sensu latiore sumpta, est *absentia scientiae in subjecto sciendi capaci*. Quod si agatur de subjecto sciendi *incapaci*, sive sit omnino atque ex sua natura incapax, ut v.g. lapis, sive sit incapax tantum ratione cujusdam status, temporis, etc. ut v.g. infans, amens, etc.,[1] absentia scientiae non dicitur *ignorantia*, ne hoc latiore quidem vocis sensu.

214. *Ignorantia*, sensu strictiore sumpta, est *absentia* seu *carentia scientiae subjecto debitae*. Dicitur 1° *absentia*, quo convenit cum definitione jam exposita. Dicitur 2° *carentia*, quae vox significat rem, quae desit, ejusmodi esse quae aliquo modo debeat adesse. Itaque 3° dicitur *scientiae subjecto debitae*, quae clausula complectitur non solum illud debitum seu obligationem quae ex praecepto oritur, sed etiam debitum illud quod adest quoties res de qua agitur ita convenit subjecto ut imperfectio seu defectus censeatur ea carere: sicut v.g. si vir nobilis ignarus sit artis scribendi. Sic igitur sacerdos proprie dici potest *ignorare* Theologiam Moralem; quod si rustico deest illa scientia, hoc dici nequit *ignorantia*,

---

[1] Vid. Laymann, Lib. 1. tract. ii. n. 1; Reiffenstuel, *Theol. Moral.*, Tract. i. dist. i. n. 35. cap. iv.

nisi latiore sensu n. 213. exposito ; proprie autem dicitur *nescientia.*

215. Itaque differt *ignorantia* 1° ab *errore*, qui insuper secum affert judicium falsum, quo positive existimatur rem aliter se habere quam reipsa se habet : ideoque error semper habet ignorantiam secum conjunctam, ignorantia autem potest esse sine errore ; sic v.g. ethnici qui nunquam de Christo audierunt, ignorant quidem Christum esse Deum, minime vero de hac re errant, quia nullum omnino judicium de ea efformant.

216. Differt 2° ab *inadvertentia*, quae in eo consistit quod intellectus ad rem non attendit, sive adest sive non adest rei cognitio habitualis. Vid. supra, n. 31.

217. **Divisio.** Ignorantia pluribus modis distinguitur.

218. Est 1° *positiva* vel *negativa*, prout est absentia scientiae *debitae* aut *indebitae.* Haec igitur est divisio ignorantiae (n. 213.) sensu latiore sumptae.

219. Est 2° *juris*, vel *facti.* Ignorantia *juris* est quum quis ignorat legem existere, aut, sciens legem existere, ignorat eam obligationem quandam imponere : v.g. si quis ignorat esse legem jejunandi in Vigilia Solemnitatis Omnium Sanctorum, aut si, sciens legem esse jejunandi, ignorat eam complecti obligationem abstinendi a carnibus. Ignorantia *facti* est quum quis ignorat adesse ea rerum adjuncta in quibus legis obligatio urgeat : sic v.g. si quis, probe sciens a carnibus abstinendum esse singulis feriis sextis, nescit tamen hodie feriam sextam esse.—Ignorantia *juris* est vel juris *divini* vel *humani ;* prior dividitur in ignorantiam juris *naturalis* et juris *divino-positivi ;* altera est vel juris *ecclesiastici* vel *civilis.* De quibus omnibus vid. Tractatum de Legibus.

220. Est 3° *vincibilis* vel *invincibilis*, prout ignorantia, adhibita diligentia, vinci potest vel non.

221. Dicitur *physice invincibilis* si nullo modo vinci

potest; *moraliter* vero, si vinci nequit adhibita *diligentia morali.* Porro *moralis diligentia* censetur ea quam homines prudentes, pro *rei gravitate, capacitate personae,* ac *circumstantiis operis,* adhibere solent, aut ab aliis adhibitam approbare ut sufficientem. Non enim exigitur ut quis semper adhibeat diligentiam *summam* quae in se possibilis sit. Ideoque ut dignoscatur quaenam diligentia, in aliquo casu, censenda sit *moralis,* inspicienda est 1° *rei gravitas;* quo gravior enim est res de qua agitur, eo sane majore diligentia opus est in ea investiganda: sic v.g. ei qui officium sacerdotis, praesertim vero confessarii, est suscepturus, omne studium conferendum est ad ea addiscenda quae ad munus recte exsequendum spectant: neque enim exiguum est detrimentum fidelibus ac praesertim poenitentibus obventurum ex eo quod quis sui muneris ignarus officium tanti oneris exsequendum suscipit. Inspicienda est 2° *capacitas personae;* sic v.g. indoctis saepius sufficit consulere alium qui satis doctus sit atque rei de qua agitur peritus; doctioribus autem saepe opus est ut ipsi rem perscrutentur, libros legendo, perpendendo motiva utriusque partis, etc., etc. Denique 3° inspiciendae sunt *circumstantiae* in quibus opus perficitur; nonnunquam enim satis est diligentiam minorem adhibere, eo quod tempus non suppetit, aut aliquid aliud obstat quominus diligentius rei examen institui possit.—Hactenus de priore parte definitionis: deinde subjungitur, "*adhibere* solent, aut ab aliis adhibitam *approbare ut sufficientem;*" etenim saepe fit ut in officiis suis persolvendis haud paullum negligentes sint ii, qui, quamdiu de aliis agitur, obligationes et munera prudentissime perpendant.

222. Pari ratione, *physice vincibilis* dicitur ignorantia quam quis absolute, seu *summam* adhibendo diligentiam, depellere potest; *moraliter vincibilis* dicitur ea quae vinci potest adhibita diligentia *morali.*

223. Quoties hic sermo erit de ignorantia vincibili aut invincibili, haec semper intelligenda sunt de ignorantia *moraliter* vincibili aut invincibili; neque enim refert, quum agitur de obligationibus moralibus exponendis, ignorantiam posse alio modo depelli, nisi id fieri possit adhibita diligentia morali.

224. Ignorantia *invincibilis* semper est *inculpabilis;* nemo enim ad impossibile tenetur. Ignorantia *vincibilis* aliquando *culpabilis* est, aliquando *inculpabilis,* prout adest vel non adest obligatio eam depellendi.—TT. tamen communiter ignorantiam *vincibilem* intelligunt eam quae *culpabilis* est; hoc igitur sensu, nisi aliter declaretur, haec vox nobis posthac intelligenda est. Neque tamen censendum est ignorantiam omnem *inculpabilem* pari modo dicendam esse *invincibilem;* quis enim *invincibilem* appellaret ignorantiam v.g. illius qui ignarus est artis scribendi, quam nulla lege addiscere tenetur, facillime vero addiscere potest, si velit?—Conditiones requisitae ut ignorantia sit vincibilis seu culpabilis infra exponentur.[1]

225. Ignorantia *vincibilis* iterum dividitur in *affectatam* et *non affectatam* seu *negligentem.*

226. Ignorantia *affectata* dicitur ea quae est *in se* voluntaria, eo quod quis expresse vult (n. 59.) scientia carere. "Talis," ait Brocard,[2] "reperitur in homine qui non vult inquirere de rei veritate, ut, obligatione legis ignorata, vel excusationem aliquam mereatur vel liberius peccare possit: v.g. si mercator expresse omittit inquirere de suis debitis, ut, iis ignoratis, non solvat creditoribus, vel si quis data opera non vult petere consilium super re circa quam dubitat, ne forte ab ea abstinere debeat: de quibus legimus (Job, xxi. 14.): 'Impii dixerunt Deo; recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus';

[1] Vid. n. 242.
[2] *Tract. de Conscientia,* Quaest. 1. art vi.

(Psalm., xxxv. 4.) : 'Noluit intelligere ut bene ageret.'"—AA. nonnulli,[1] quum definiunt ignorantiam *affectatam*, respiciunt ignorantiam tantum illorum qui ideo volunt scientia carere ne a proposito peccandi retrahantur. Communius autem, ut supra expositum est, ignorantia dicitur *affectata* quoties est *in se* voluntaria, quamcunque ob rationem quis vult scientia carere: ut v.g. ait Billuart,[2] ignorantiam affectatam definiens "quae est directe [seu *in se*] volita, ut quum quis directe et positive vult aliquid ignorare, sive ut liberius peccet, sive ut excusationem habeat in peccatis, *sive propter aliud*." Hoc igitur sensu *affectata* dicenda est ignorantia v.g. illius qui media ad scientiam acquirendam non adhibet quia scientiam illam spernens ideo vult ea carere.

227. Ignorantia *non affectata* (seu *simpliciter negligens*) dicitur ea quae non est *in se* voluntaria, sed tantum *in causa*, eo quod quis diligentiam requisitam ad scientiam acquirendam adhibere praetermittit, ita tamen ut id non agat quia rem ignorare velit, sed ob aliam aliquam rationem, v.g. ob pigritiam, ob verecundiam inquirendi, etc., etc.

228. Etiam haec ignorantia ulterius distingui debet, pro diverso gradu negligentiae ex qua provenit. Duo sunt gradus praecipui. *Prior* est negligentiae *gravis*, adeo ut media addiscendi sic omittere, peccatum sit mortale: ignorantia quae ex ejusmodi negligentia provenit dicitur *lata*, *gravis*, ac *graviter culpabilis*; etiam dicitur *latissima* ac *gravissima*, si tanta fuerit negligentia ut diligentia omnino nulla, aut tantum modicissima, adhibita sit. *Alter* gradus est negligentiae adeo *levis* ut ad culpam tantum *venialem* attingat: ignorantia haec dicitur *levis* ac *leviter culpabilis*; *levissima* quidem

---

[1] Vid. v.g. Gury, Part. i. n. 13, 3°

[2] *Tr. de Act. Hum.*, Diss. i. art. 9. Vid. etiam Suarez, *Tract. de Censuris*, Disp. 4. sect. viii. n. 4; Laymann, Lib. 1. tr. ii. cap. iv. n. 5.

dicitur, si omissa sit diligentia tantum ejusmodi quam homines, nisi vigilantissimi, adhibere non soleant.[1]

229. Ignorantia quaedam *graviter* culpabilis dici solet *crassa* et *supina :* neque tamen TT. inter se consentiunt in his vocibus exponendis. Unde investigandum est quo sensu intelligi debeant : quae quaestio magni sane momenti ideo efficitur quia in jure canonico statuitur ignorantiam, etsi culpabilem, excusare a censuris incurrendis, "dum tamen ignorantia *crassa* non fuerit, aut *supina*." (Cap. *Ut animarum*, 2, de Constitutionibus, in 6°.)

230. Hic duae sunt TT. sententiae. *Prior* statuit ignorantiam *crassam*, seu *supinam*, esse eam quae exorta sit ex negligentia *graviter culpabili*, adeo ut quaevis ignorantia *graviter culpabilis* hoc sensu *crassa* seu *supina* dicenda sit. *Altera* vero duos distinguit gradus ignorantiae graviter culpabilis, prout negligentia (*a*) est *valde gravis* aut *gravissima*, adeo ut diligentia omnino modica, aut etiam fere nulla, ad ignorantiam depellendam sit adhibita, aut (*b*) est *simpliciter gravis*, adeo ut notabilis quidem sit diligentiae carentia, quae tamen ad gradum jam recensitum non pertingat : haec igitur sententia ignorantiam *crassam* seu *supinam* intelligit eam solam quae ex negligentia *valde gravi* aut *gravissima* exorta est : "exemplo res clarior fiet : ponamus, pensata rei gravitate secundum arbitrium prudentium, diligentiam necessariam ad non peccandum debere esse ut *decem ;* si quis tamen apponat diligentiam ut *duo*, aliquam quidem diligentiam apponit, sed adeo exiguam ut quasi pro nullo reputetur, et sic peccabit ex ignorantia *crassa* seu *supina ;* alter vero apponit diligentiam ut *sex*, et ille peccabit mortaliter, non tamen ex summa negligentia, quia propius accedit ad diligentiam necessariam ad non

[1] Vid. Suarez. *Tr. de Censuris*, Disp. 4. sect. viii. n. 4; Laymann, Lib. 1. tract. ii. cap. iv. n. 5.

peccandum: ergo licet hic peccet, non tamen peccat ex ignorantia *crassa* seu *supina*, sed ex ignorantia *pure vincibili*, quae tamen erit *mortaliter culpabilis*."[1]

231. Abs re fortasse non erit hic notare hanc alteram esse sententiam *benigniorem* quum agitur de ignorantia quae excuset a censuris incurrendis. Etenim in priore sententia, *crassa* seu *supina* censenda est ignorantia quaevis ex negligentia *graviter culpabili* exorta, qualis igitur ignorantia non valet ad excusandum a censuris incurrendis: in altera vero sententia, ignorantia, etsi exorta ex negligentia graviter culpabili, tamen excusat a censura incurrenda, nisi culpa fuerit *valde gravis* eo quod diligentia omnino modica, aut etiam fere nulla, ad scientiam acquirendam adhibita sit.

232. Sententiam *priorem* tenent "Suarez (qui dicit se non audere 'dicere oppositam esse practice aut moraliter probabilem'), Coninck (ut 'probabiliorem et in praxi servandam'), Sporer, Cuniliati, Viva, Concina, Salmanticenses et tres alii ab iis citati, Collet, Mazzotta (qui ait 'videtur probabilior'), S. Alphonsus, Auctor Praelectionum Juris Canonici S. Sulpitii (secundum quem haec sententia est 'communissime recepta inter canonistas'), et alii auctores qui ignorantiam *graviter culpabilem* in solam *crassam* et *affectatam* dividunt."[2]

233. Hujus sententiae rationes praesertim duas affert Suaresius: (*a*) quia praeter affectatam nusquam in jure canonico agnoscitur alia ignorantia *graviter culpabilis*, quae illis duabus, *crassa* et *supina*, non contineatur, adeo ut alia graduum distinctio nullo jure fundetur: (*b*) quia

---

[1] Brocard, *Tr. de Conscientia*, Quaest. I. art. vi.

[2] Ita Murray, *Tract. de Censuris*, Cap. v. n. 134; qui ibidem sic refert textum cujusque auctoris citati; Suarez, [*Tr. de Censuris.*] Disp. 4. sect. x. n. 10; Coninck, n. 95; Sporer, n. 37; Cuniliati, sect. 7. n. 2; Viva, art. vi. n. 7; Concina, cap. v. n. 3; Salmant., n. 197; Collet, cap. 4; Mazzotta, Tract. I. Disp. i. Quaest. ii. cap. I; S. Alph., Lib. 7. *De Censuris*, n. 45.

nulla ratione explicari potest istiusmodi distinctio; "quis enim," ut argumentatur, "dicat negligentiam ad mortaliter peccandum sufficientem, in tali gradu esse *crassam*, non vero in tali: aut qua ratione discerni possunt hi gradus?"

234. Sententiam *alteram* "tenent Castropalaus, Bonacina, Tanner, Sanchez, Coelestinus, Diana, Henriquez, Ledesma, Avila, Henno, Lacroix, Brocard, Illsung."[1] Eandem, argumenta sententiae oppositae diluendo, propugnat Murray. Insuper, hujus sententiae patronos, praetermisso tamen uno aut altero ex AA. jam citatis, Ballerini[2] recenset Pirhing, Dicastillo, Babenstuber, Tamburini, Reuter, et Barbosam: haud sane igitur immerito ipse, hanc sententiam propugnans, redarguit S. Alphonsum quod sententiam priorem ut communem tradidit.

235. Haec altera sententia in eo praecipue nititur quod ipsae voces, *crassa* et *supina*, "per se significant, non communem istam, etsi graviter culpabilem, ignorantiam aut negligentiam, sed pessimam quamdam et turpissimam. Quis enim diceret omnem *graviter* ignorantem vel errantem, *crasse* et *supine* ignorare vel errare? Plane igitur voluit Pontifex [in textu juris n. 229, citato] non aliquid *communiter grave* significare, sed praeter commune, et extra modum grave."[3]

---

[1] Ita Murray, ibid., ubi textus sic refert: Castrop., p. 8. n. 7; Bonac., Quaest. 2. p. 1. n. 4. "probabilius," sed n. 10, "non improbabiliter:" Tanner, *De Poenit.*, Q. 10. n. 47; Sanchez, *In Decal.*, Lib. 1. c. 16. n. 7.; Coelestinus, Diana, Henriquez, Ledesma, Avila, citati a Salmant., n, 196; Henno, *De Act. Hum.*, d. 2. q. 8. a. 1; Croix, *De Legibus*, n. 770; Brocard, *De Conscientia*, a. 6. sect. 1; Illsung, Tract. 2. d. 1. n. 22, 23.

[2] Vid. Gury, (Ed. Rom.) Part. ii. n. 939. nota (*a*) Ibidem textus sic referuntur:—Pirhing, Lib. 5. Tit. 39, n. 46; Dicastillo, *De Censuris*, Disp. 2. n. 298; Babenstuber, Tract. 4. Disp. 1. art. 3. n. 10; Tamburini, Dec., Lib. 2. c. i. sect. 7. n. 22; Reuter, Part. 1. n. 22. et 267; Barbosa, *Collect.*, Tom. 4. In Lib. 1. VI. Decret. Tit. 2. c. 2. n. 7.

[3] Murray, ibid. n. 135.

236. Ex his facile solvitur prior Suaresii ratio ; etenim voces ipsae, in citato juris textu sic adhibitae, satis distinguunt ignorantiam *crassam* ac *supinam* ab ea quae tantum communi modo *graviter culpabilis* est. Quod ad alteram rationem attinet, sic, ad hominem, ut aiunt, respondet Ballerini :[1] "quis dicat negligentiam *ad mortaliter peccandum* sufficientem esse in tali gradu, non vero in tali? aut qua ratione poterunt discerni hi gradus? Profecto si definiri aliquando potest quando ignorantia sit *gravis*, atque ideo, ex sententia Suaresii, *crassa*, definiri eodem modo poterit quando inter mortales, ut ait Laymann, ignorantia sit *valde gravis*, et quando *minus*."

237. Quum vix negari possit hanc alteram sententiam esse vere saltem probabilem, tum propter rationem n. 235. allatam, tum propter auctoritatem TT. qui eam propugnant, ideo, ut ait Mazzotta,[2] cum Francisco De Lugo, "potest interdum deservire ad vitandas poenas juris;" plerumque enim sententia benignior sic adhibenda est ubi agitur de censuris aliisve poenis.

238. Denique de vocibus *crassa* et *supina* animadvertendum est eas omnino idem significare, et ideo inter se non differre nisi in metaphoris adhibitis diversis. Etenim ignorantia dicitur "*crassa*, quia more crassi hominis et pinguis, deses et piger es in ea depellenda; crassi enim homines et pingues solent desides esse. Eodem modo dicitur *supina*, quia more jacentis supine in lecto, qui, de nulla re curat, sic non curas ignorantiam expellere." Ita Castropalaus,[3] qui testatur AA. omnes in his convenire.[4]

239. His dictis de divisione ignorantiae *vincibilis* et *in-*

---

[1] Vid. Gury (Ed. Rom.), Part. ii. n. 939, nota (*a*).
[2] Mazzotta, Tract. I. disp. i. quaest. ii. cap. I.
[3] *Tract. de Peccatis*, Disp. I. punct. xv. n. 2.
[4] Vid. tamen Murray, *Tract. de Censuris*, n. 127.

vincibilis, agendum est de alia divisione quam TT. communiter, S. Thomam secuti, tripartitam tradunt, distinguentes ignorantiam *antecedentem*, *concomitantem*, et *consequentem*. Quae tamen tripartita divisio, ut notat Suaresius,[1] explicari debet per duas divisiones bipartitas: adeo ut primo dividatur ignorantia in *antecedentem* et *consequentem*, deinde in *antecedentem* et *concomitantem*. Etenim sensu omnino diverso sumitur vox *antecedens*, prout sic opponitur *consequenti* aut *concomitanti;* relativum enim habet sensum, atque alius sumitur relationis terminus in priore et in altera divisione.

240. Itaque ignorantia est 4° *antecedens* vel *consequens*.[2] *Antecedens*, sensu hujus divisionis, ea est quae neque *in se*, neque *in causa*, est voluntaria: quae ideo *antecedens* dicitur quia omnem voluntatis actum antecedit eo sensu quod ab actu hujusmodi non provenit. *Consequens* vero ignorantia dicitur quae voluntatis actum subsequitur eo sensu quod, vel *in se* vel *in causa*, voluntaria est. Sic S. Thomas: "*Antecedenter* se habet ad voluntarium ignorantia quando *non est voluntaria*, . . *Consequenter* autem se habet in quantum ignorantia est *voluntaria*."[3]

241. Deinde est 5° *antecedens* vel *concomitans:* seu, ut TT. aliquando loquuntur,[4] est alia quae est *causa operis*, alia quae *non* est *causa operis*. Neque enim in hac divisione terminus comparationis, ut supra (n. 240.), est actus voluntatis, quem ignorantia antecedat vel subsequatur, sed est opus quod ab ignorante efficitur vel *ex ignorantia*, ut aiunt, vel *cum ignorantia*. Itaque ignorantia, ad sensum hujus divisionis, *antecedens* seu *quae dat causam operis* ea est quae nisi adesset, opus non efficeretur; hujusmodi v.g. est ignorantia venatoris qui

---

[1] *Tract. de Voluntario*, Disp. 4. sect. i. n. 4.
[2] Vid. Laymann, Lib. I. tract. ii. cap. iv. n. 4.
[3] *Summa*, I, 2. Quaest. 6. art. 8.
[4] Sic v.g. Laymann, ibid. n. 3.

nesciens amicum in silva latere, illum, sagitta eo conjecta, occidit, minime jacturus si sciret eum inibi esse. E contrario ignorantia *concomitans*, seu *quae non dat causam operis*, ea est quae etsi non adesset, tamen opus, de quo agitur, perficeretur; ut v.g. si venator sagitta conjecta occidit inimicum, nesciens quidem illum inibi adesse, ita tamen animo habitualiter affectus ut, etiamsi cognovisset, idipsum fecisset: quae ignorantia, quum non sit *causa* actionis, sed tantum ejus *comes*, non dicitur *antecedens* sed *concomitans;* neque ea quae sic efficiuntur dici solent ex *ignorantia*, neque *propter ignorantiam*, sed tantum *cum ignorantia*, fieri.

242. **Quaesita.**—QUAER. 1°. *Quaenam conditiones requirantur ut ignorantia sit* vincibilis?

243. RESP. Requiritur 1° ut *praesto* sint *media* ignorantiam depellendi, seu acquirendi scientiam quae desit; 2° ut haec media ejusmodi sint ut ea adhibere *non exsuperet diligentiam moralem.* Insuper si sermo est de ignorantia *culpabili*, requiritur 3° ut sit *obligatio* acquirendi scientiam et ideo adhibendi media supra dicta.

244. Conditio *prima*, ut constat ex antea (nn. 106, 107.) dictis, omnino exigit ut in mentem venerit aliqua cogitatio aut suspicio, tum ipsius ignorantiae, tum mediorum quibus adhibitis depelli possit. Et quidem de hac ipsa re Suaresius[1] scripsit ea quae n. 107 citavimus, "licet diligentia sit *in se* possibilis, tamen si in mentem hominis nunquam venit de illa cogitare, . . non potest dici talis diligentia . . esse *in hominis potestate.*"

245. Conditio *secunda* satis intelligitur ex supra (n. 221.) dictis.

246. De *tertia* conditione plura exponenda sunt:—

247. Et 1° animadvertunt TT. duobus modis posse

---

[1] *Tract. de Voluntario*, Disp. 4. sect. i. n. 19.

aliquem obligari ad rem addiscendam: *primo* modo *absolute* et *per se;* sic fideles tenentur scire v.g. quaedam dogmata fidei: *secundo* modo potest homo teneri ad aliquid cognoscendum solum *ex hypothesi*, vel *in ordine ad actionem* quam vult perficere; ut v.g. qui sagittam projicit in agro, *absolute* non tenetur scire nec inquirere an ibi lateat homo, tamen *si vult sagittam eo mittere* tenetur id scire. Ita Suaresius.[1] Hoc secundo modo tenentur fideles scire v.g. Ecclesiae praeceptum quo praecipitur Missam quodam die festo audire: etenim ii, ut patet, qui Missam audituri sunt, sive dies est praecepti sive non, nullo modo tenentur ad notitiam obligationis acquirendam.

248. Animadvertunt 2°, id quod supra de prima conditione est expositum, requiri *actualem* hujus *obligationis cogitationem:* haec enim nisi adsit, dicendum est cum Suaresio[2] "talem hominem *per se* quidem *teneri* ad istam scientiam acquirendam . . nihilominus tamen obligationem *suspendi* . . vel potius hominem ab illa *excusari*, propter impotentiam proximam et moralem, quae ex naturali oblivione vel inconsideratione orta est."

249. Itaque patet omnino rejiciendam esse sententiam quam propugnabant Navarrus[3] et alii quidam e TT. antiquioribus docentes vincibilem et culpabilem semper esse ignorantiam legum ac praeceptorum quae ad proprium cujusque officium pertinent, et cujusque status, ut aiunt, obligationes complectuntur. Quamquam enim verissimum est, quod ii argumentantes aiunt, quemvis ex officio *teneri* haec scire, tamen fieri potest ut quis, ex naturali oblivione aut ex advertentiae defectu, ab obligatione, ut jam diximus, *excusetur*. Et quidem, ut

---

[1] *Tract. de Voluntario*, Disp. 4. sect. i. n. 11. Cf. Laymann. Lib. 1 Tract. ii. cap. iv. n. 10.

Tract. de Censuris, Disp. 4. sect. viii. n. 18. Vid. supra, nn. 107, 244.

[3] Vid. Suarez, ibid. n. 14.

Suaresius[1] animadvertit, haec sententia, sic distinguens inter ignorantiam eorum quae non spectant ad proprium cujusque munus, et eorum quae ita spectant, haud satis sibi constat. "Nam [quum hic sit sermo] de ignorantia juris, necesse est id intelligi de ignorantia praecepti *quo aliquis obligetur :* nam si eum non obligaret, impertinens esset illius scientia vel ignorantia ad excusandum peccatum . . . Quilibet autem homo scire tenetur [*omnia* praecepta] quibus obligatur, sive illa obligatio nascatur ex generali conditione hominis Christiani . . sive ex particulari officio quod profitetur, ut medici, parochi, etc. . . .

250. "Certa ergo et moralis regula in hoc negotio sumenda est, *diligentia adhibita vel omissa* ad cognoscendum praeceptum. . . Nam si quis adhibeat . . . *sufficientem diligentiam* ut sciat leges ad se suumque officium pertinentes, accidere potest ut aliquam *invincibiliter* ignoret. . . Si autem *negligens* sit in sciendis suis obligationibus, ignorantia erit *vincibilis*, sive obligatio oriatur ex officio, sive aliunde, dummodo negligentia proportionalis sit." Haec Suaresius :[2] qui deinde exponens quomodo dijudicandum sit utrum quis diligentiam debitam adhibuerit necne, statuit inspiciendum esse *primo* "an aliquando *venerit in mentem* tale praeceptum vel dubitatio aliqua de ejusmodi obligatione . . nam si nihil ejusmodi occurrit, signum sufficiens est invincibilis ignorantiae . . ; ac *secundo*, an is qui scire aliquid tenetur, habuitque sufficiens principium cogitandi, fecerit *moralem diligentiam* . . sufficientem ut talem cognitionem acquireret."[3]

251. Denique 3° ut ignorantia sit culpabilis ex eo

---

[1] Vid. Suar. *Tr. de Censuris*, Disp. 4. sect. viii. n. 15. Cf. Sanchez, *In Decal.*, Lib. 1. cap. xvi. n. 29.
[2] Ibid. n. 16.
[3] Ibid. nn. 18, 19.

quod quis praetermittat adhibere media scientiam acquirendi, non sufficit advertentia *cujusvis* obligationis adhibendi media: requiritur enim advertentia obligationis adhibendi ea *quatenus sunt media* ad scientiam illius rei acquirendam. Etsi enim quis peccat omittendo id facere quod facere tenetur, non ideo tamen voluntaria censeri potest, neque in culpam imputari, ignorantia quae ex omissione provenit: supra enim (n. 112.) vidimus omnino necessarium esse ut effectus, saltem in confuso, praevideatur, sive causa ex se licita est sive illicita. Itaque, ut ait Suaresius,[1] aliud est ignorantiam esse *culpabilem*, aliud vero esse *per culpam contractam*. Quod sic illustrari solet:[2] si die festo accidit legem in templo promulgari, et quispiam culpabiliter eo die omisit Missam audire, cui si interfuisset, audisset legem promulgari, illius ignorantia hujus legis est omnino inculpabilis, etsi omissio, ex qua ortum habuerit, peccatum erat mortale: quia obligatio audiendi Missam nec totaliter nec partialiter nascitur ex obligatione alicujus novae legis cognoscendae; neque ullo modo praevidere potuit ignorantiam legis ex omissione esse orituram.

252. Ex his omnibus patet quempiam posse duobus modis rem invincibiliter ignorare: 1°, quum nullo modo in mentem venerit dubitare aut cogitare de opposito; 2° quum, etsi ejusmodi cogitatio in mentem venerit, tamen debita diligentia adhibita, ignorantia depelli non possit. Ita Suaresius,[3] Laymann,[4] et alii AA. communiter.

253. QUAER. 2° *An fieri possit ut ignorantia, quae ab initio* culpabilis *fuerit, postea evadat* inculpabilis?

254. RESP. *Affirmative.* Tria enim sunt, n. 243.

---

[1] *Tr. de Voluntario*, Disp. 4. sect. i. n. 12.
[2] Vid. v.g. Sanchez, *In Decal.*, Lib. 1. cap. xvi. n. 31.
[3] *Tract. de Voluntario*, Disp. 4. sect. i. n. 20.
[4] Lib. 1. tract. ii. cap. iv. n. 4.

recensita, quae omnino requiruntur ut ignorantia sit culpabilis: horum igitur si vel unum deest, quod quidem facile evenire potest, ignorantia eo ipso efficitur inculpabilis.

255. Itaque ex supra dictis sequitur, si quis negligens erat in studendis iis quae sui sunt muneris, et ideo nunc tenetur incumbere in ea addiscenda, ut v.g. medicus, si pharmacum aegroto applicandum ignorat, eo quod olim negligens fuerit in iis studendis quae ad artem suam spectent, tamen si reipsa non advertat se carere scientia suo muneri debita et ideo se obligari ad eam addiscendam, ignorantia ejus, etsi antea erat vincibilis et culpabilis, nunc tamen, quum desit advertentia, omnino inculpabilis et invincibilis est.[1]

256. **Principia.**—Antequam tradantur principia quibus exponitur quomodo et quatenus ignorantia in actum humanum influat tollendo voluntarium, quaedam praemittenda sunt de sensu quo id intelligi debeat. Notandum igitur 1° est, quando quaeritur an ignorantia efficiat involuntarium, "id non esse intelligendum de actu voluntatis elicito aut imperato *secundum substantiam* spectato (nam, ut sic, haud dubie est voluntarius), sed esse intelligendum de actu voluntatis *secundum aliquam circumstantiam* ei adjunctam, aut secundum *effectum* qui ex tali actu sequitur . . aut ei quomodolibet conjungitur: v.g. si Titius velit projicere sagittam in cervum, et ignorans occidat hominem, non quaeritur an Titio voluntaria sit *volitio projiciendi* sagittam, vel ipsa *exterior projectio* (de his enim nemo dubitat), sed tantum quaeritur an *occisio hominis* ex projectione tali ignoranter secuta, sit Titio dicenda voluntaria?"[2]

---

[1] Ita Viva, *Opusc. Theol. Moral. I.*, Quaest. 3. art. v. n. 2. Vid. etiam Sanchez, *In Decal.*, Lib. 1. cap. xvi. n. 41; Lacroix, Lib. 1. *De Conscientia*, n. 42, et AA. ibid. citatos.

[2] Cursus Theologicus Monasterii S. Galli, *Tr. de Act. Hum.*, Sect. 1. quaest. 8. notandum 2.

257. Praenotandum est 2°: etsi omnino distinguendum est, ut supra (n. 216.) vidimus, inter *ignorantiam* et *inadvertentiam*, quarum prior scientiam rei *habitualem*, altera vero scientiam tantum *actualem* excludit, tamen *ignorantia* alicujus rei, seu absentia illius scientiae *habitualis*, eatenus tantum voluntario adversatur, quatenus necessario secum afferat rei *inadvertentiam*, seu absentiam scientiae *actualis*. Neque enim interest, quod ad voluntarium attinet, utrum *habitualis* scientia adsit an non, nisi adsit scientia *actualis*, seu, aliis verbis, nisi agens ad rem *advertat*. Sic v.g. si quis die abstinentiae carnes manducat, nihil sane ad voluntariam transgressionem legis confert *habitualis* notitia praecepti, dummodo ad illud hic et nunc non advertat. Vid. supra n. 42.

258. Praenotandum est 3°, hic non poni quaestionem utrum ea quae ex ignorantia profluant, v.g. detrimentum quae infirmis, litigantibus, aut poenitentibus proveniat ex ignorantia medici, judicis, aut confessarii, censeri debeant voluntaria *in causa praeterita*, quae erat omissio diligentiae moralis praemittendae ad acquirendam scientiam requisitam: de qua questione satis supra dictum est in exponendis iis quae ad *Voluntarium in causa* requiruntur.[1] Quaestio autem hic ponitur, utrum, et quatenus, ignorantia, *quamdiu duret*, obstet quominus ea quae fiant, debeant *tunc* voluntaria censeri. Quae quaestio ut a priore clarius secernatur, recolenda sunt ea quae supra (n. 192. Resolves 5°.) exposita sunt de iis quae v.g. ab ebrio fiant. Haec quidem, etsi fieri potest ut fuerint voluntaria in causa praeterita, quae est actus agentis voluntarie se inebriantis, minime tamen voluntaria sunt, nisi tantum *denominative* (ibid.), quando

---

[1] Vid. supra, art. 2. § 4. *De Voluntario in Causa*, praesertim nn. 92 et seq.

deinde ab ebrio fiunt. Jamvero hic inquirendum est utrum, et quatenus, idipsum dicendum sit de iis quae, modo n. 256. exposito, conjunguntur cum actibus alicujus qui, sive vincibiliter sive invincibiliter, ignoret ea esse ita cum actibus suis conjuncta. Quibus praemissis, sit

259. **Principium I.** *Ignorantia* vincibilis *non tollit voluntarium.*

260. Quod quidem ut demonstrent TT. argumentari solent ex eo quod, quum ignorantia hujusmodi sit voluntaria,[1] voluntarii erunt effectus qui ex ea profluunt. Haec tamen ratio, ut notat Suaresius,[2] respicit ea tantum quae fiunt ex ignorantia *antecedente* (n. 241.), quae *causa* est ut fiant ; at vero principium intelligi debet non solum de hujusmodi ignorantia, sed etiam de ea quae dicitur *concomitans*, quae nullo modo est causa eorum quae ab agente fiunt : sic v.g. " si quis occidat hostem, putans se occidere feram, non facta sufficienti diligentia ad vitandum homicidium, quod sine dubio imputatur ei ad culpam [ut plane non posset fieri nisi esset voluntarium], etiamsi illa ignorantia *concomitans* sit ; nam etsi ille esset animo ita virtualiter dispositus quod, si sciret ibi esse hominem, non interficeret, nihilominus propter negligentiam culparetur ut homicida : ergo non minus culpandus est eo quod ita sit affectus quod, si sciret, libentius occideret."[3]

261. Principium igitur potius stabiliendum est ex eo quod agens, si *vincibiliter* ignoret ex suo actu proventurum esse effectum aut circumstantiam de qua agatur, id aliquo modo suspicatur, seu *in confuso* (n. 94.) apprehendit ; neque enim aliter potest ignorantia esse

---

[1] Vid. supra, nn. 225-227.
[2] *Tract. de Voluntario*, Disp. 4. sect. ii. n. 19.
Suarez, ibid. n. 3. Vid insuper ibid. n. 19. supra citatum.

vincibilis. Sic v.g. qui carnes die abstinentiae manducat, *vincibiliter* ignorans diem esse abstinentiae, profecto agit cum aliqua saltem formidine ecclesiae legis transgrediendae. Haec igitur transgressio, quatenus *in confuso* apprehenditur, eatenus voluntaria est.[1]

262. COROLLARIUM 1m. *Ignorantia vincibilis voluntarium saltem minuit.*—Namque eo minus voluntarium est aliquid, quo minor habetur illius cognitio seu advertentia. Jamvero, ut patet, haec omnino minor est in eo qui rem, etsi vincibiliter, ignorat, quam in eo cui inest rei scientia : eatenus igitur voluntarium minuitur.[2]

263. COROLL. 2m. *Ideoque* vincibilis *ignorantia* (si agitur de effectu aut circumstantia lege prohibita, ut in exemplo n. 256. tradito) *minuit culpam.*—Neque enim quidquam potest in culpam imputari nisi quatenus voluntarium est.[3] Insuper patet hujusmodi ignorantiam culpam minuere diverse pro diverso negligentiae gradu : adeo ut si negligentia solum levis sit aut levissima, peccatum quod alioquin esset mortale evadat solum veniale ; si autem negligentia sit notabilis, peccatum remaneat mortale. Ita Struggl.[4]

264. COROLL. 3m. *Neque tamen ejusmodi ignorantia culpam tollit.*—Etenim ille sane peccat qui voluntarie se exponit periculo transgrediendae legis, non praemissa diligentia morali ad periculum praecavendum : res illustratur eodem exemplo n. 256. tradito.—Unde TT. axioma tradunt, ignorantiam vincibilem excusare *non a toto sed a tanto.*

---

[1] Vid. Suarez, *Tr. de Voluntario*, Diss. 4. sect. ii. n. 19. Vid. Sporer, Tract. 1. cap. ii. n. 36 ; Laymann, Lib. 1. tract. ii. cap. iv. n. 4 ; Lacroix, Lib. 1, *De Conscientia*, n. 42.

[2] Vid. Sporer, ibid. n. 37 ; Struggl, *Theol. Moralis*, Tract. 1. quaest. i. n. 43.

[3] Vid. Sporer, ibid.

[4] Ibid. Cf. Viva, *Opusc. Theol. Moral. I.*, Quaest. 3. art. vii. nn. 3-6.

265. COROLL. 4^{m}. *Voluntarium minuit ignorantia vincibilis quaevis, etiam affectata.*—Etenim scientia, quae requiritur ut res sit *in se* voluntaria, haud minus vere deest in eo cujus ignorantia est *affectata*, quam in eo cujus ignorantia est *simpliciter negligens.* Namque, ut argumentatur Suaresius,[1] "ille qui ita operatur, non vult absolute efficere operationem quatenus continet transgressionem praecepti, quia revera non scit esse tale praeceptum, nec hujusmodi transgressionem: sicut qui directe vult ignorare quid Ecclesia definierit de aliqua propositione, ut liberius opinari possit, non directe vult sentire et opinari contra illam; quia revera *ignorat* esse contra illam: immo ideo vult hoc ignorare ut non cogatur a sua sententia discedere . . Qui ergo ita vult ignorare, directe vult *exponere se periculo transgrediendi legem*, seu sic operari etiamsi contingat id esse prohibitum." Sic v.g. si quis suspicans hodie esse diem abstinentiae carnes tamen manducat, nihil prorsus curans de re investiganda ne cognoscat obligationem abstinendi, ille quidem temere et periculose agit, at minus voluntarie delinquit quam si carnes manducaret quum id prohibitum esse sciret.[2]

266. Quoniam vero hujusmodi ignorantia, quoties saltem quis ideo vult ignorare ut liberius peccet, est signum animi valde ad peccandum propensi, hac ratione dici potest ignorantiam affectatam *augere peccatum:* quo sensu, ut videtur, intelligenda est doctrina S. Thomae:[3] "Contingit quandoque . . quod ignorantia directe et per se est voluntaria; sicut cum aliquis sua sponte nescit aliquid ut liberius peccet: et talis ignorantia videtur augere voluntarium et peccatum."

---

[1] *Tract. de Voluntario,* Disp. 4. sect. ii. n. 9.

[2] Vid. Azor., *Instit. Moral.*, Lib. 1. cap. xiv. quaer. 10.

[3] *Summa*, 1, 2, quaest. 76. art. 4. Vid. Suarez, *Tr. de Voluntario*, Disp. 4. sect. ii. nn. 24-5; Laymann, Lib. 1. tract. ii. cap. iv. n. 9; Sporer, Tract. 1. cap. ii. n. 37.

267. **Principium II.**—*Ignorantia* invincibilis *prioris generis n.* 252. *expositi voluntarium omnino tollit.*

268. Neque enim voluntas censeri potest ullo modo consentire in ea quorum nulla cogitatio neque suspicio in mentem venit. Rem satis illustrat exemplum supra (n. 42. Resolv. 1°.) traditum.

269. COROLL. 1^m^. *Idcoque ejusmodi ignorantia omnino excusat a culpa.*—Res patet ex terminis.

270. Hic fortasse utile est notare corollarium hoc minime adversari regulae juris canonici; *Ignorantia facti, non juris, excusat* (Reg. 13. in 6.); haec enim regula non respicit forum conscientiae, de quo sermo est in hoc Tractatu, sed forum tantum externum, in quo quidem, ne leges impune violentur, ignorantia juris non agnoscitur ut causa excusans a poenis incurrendis. Omnino eadem est regula juris civilis, atque juris nostri municipalis.[1]

271. COROLL. 2^m^. *Haec intelligenda sunt de ignorantia etiam* concomitante.—Etenim ignorantia priore modo invincibilis, etiamsi sit *concomitans* (n. 241.), tamen omnino obstat quominus adsit advertentia rei de qua agatur. Sic v.g. si venator, sagitta in feram conjecta, occidit hominem inter dumeta latentem, quem nullo modo suspicari potuit inibi jacere, homicidium, ut ex hactenus dictis patet, involuntarium est; neque refert illum qui occisus sit inimicum esse, quem venator occidere vellet si cognosceret eum adesse. Etenim, ut

---

[1] "Ignorance or mistake is another defect of will . . . But this must be an ignorance or mistake in *fact*, and not an error in point of *law*. As if a man, intending to kill a thief or housebreaker in his own house, by mistake kills one of his family, this is no criminal action: but if a man thinks he he has a right to kill a person excommunicated or outlawed, wherever he meets him, and does so, this is wilful murder. For a mistake in point of law, which every person of discretion not only may, but is bound and presumed to know, is in criminal cases no sort of defence. '*Ignorantia juris, quod quisque tenetur scire, neminem excusat.*' is as well the maxim of our own law as it was of the Roman." Blackstone, *Commentaries on the Laws of England.* Lib. 4, cap. ii.

Suaresius argumentatur, venator ille, si sic occideret *amicum*, non esset homicida; ergo neque occidendo *inimicum:* consequentia patet, quia ratio culpae non pendet ex re extrinseca mere casuali; quod autem contingat ibi esse amicum vel inimicum, est mere casuale et extrinsecum.[1]

272. Neque obstat agentem ita esse animo affectum ut eodem modo, immo fortasse libentius, ageret si cognosceret rem quam ignorat, sicut venator, v.g. sagittam mitteret si cognosceret ibi esse inimicum. Neque enim Deus in culpam imputat eos actus quos homo, etsi in alia hypothesi eliceret, reipsa tamen non elicit. Malitia utique sua non caret prava ista affectio animi qua agens paratus est v.g. hominem occidere: sed hic et nunc, ut rem prosequitur Suaresius, agens nihil cogitat de inimico, neque elicit ullum actum voluntatis circa illum, et ideo non peccat sagittam in eum conjiciendo.

273. COROLL. 3^{m}. Non voluntaria, seu involuntaria privative, *sunt ea quae fiunt cum ignorantia* concomitante: *quae vero fiunt ex ignorantia* antecedente[2] *sunt* involuntaria positive *seu* contrarie.—Res patet ex terminis, nn. 43, 44, expositis; non enim in priore casu, sed in altero tantum, agitur de iis quae voluntati *adversantur*.

274. Antequam inspiciamus quid sit statuendum de invincibili ignorantia alterius generis n. 252. recensiti, abs re non erit notare TT. plerosque, etsi duo illa genera invincibilis ignorantiae, ut supra, distinguant, plerumque tamen, in tradendis ac stabiliendis principiis quibus exponatur quatenus ignorantia adversetur humano modo agendi, omnino praetermittere alterum genus quo non excludatur suspicio aut cogitatio rei quae ignoratur.

---

[1] Ita Suaresius, *Tr. de Voluntario*. Disp. 4. sect. ii. n. 12. Vid. etiam Viva, *Opusc. Theol. Moral. I.*. Quaest. iii. art. 2; Laymann, Lib. 1. tract. ii. cap. iv. n. 8; Sporer, Tract. 1. cap. ii. n. 35.

[2] Vid. antea. n. 241.

Statuentes enim ignorantiam invincibilem omnino tollere voluntarium, id probant ratione n. 268. tradita, quae plane respicit tantum invincibilem ignorantiam generis prioris.

275. Quae quidem, si in se inspiciantur, animadvertere, parvi fortasse interest. At vero ideo magni refert quia AA. fere omnes, Probabilismi systema in Tractatu *de Conscientia* exponentes, ad alterum ignorantiae genus transferunt ea quae hic de priore tantum stabilita sunt. Et, quod maximum est, TT. haud pauci principium fundamentale totius hujus systematis reponunt in doctrina sic gratis prolata. Sic v.g. ad probandum licere adversus legem agere, quando duae sint sententiae probabiles, quarum una obligationem legis affirmet, altera neget, neque dubium, adhibita omni diligentia morali, resolvi possit, argumentantur praesertim ex eo quod in his rerum adjunctis obligatio *invincibiliter ignoratur*. Sic v.g. ait Gury,[1] "ille non est obligatus qui invincibiliter *ignorat* se esse obligatum: atqui, in hypothesi, invincibiliter *ignoro* me esse obligatum: ergo, etc., etc." Atque S. Alphonsus[2] haec habet: "Quomodo dici potest aliquem *scire* praeceptum, si ipse sciat praeceptum esse dubium? Tunc omnino dicendum quod ille praeceptum *ignorat*, quum dubitat an praeceptum adsit vel non."

276. Neque tamen sibi constare videntur AA., qui, haec docentes, declinant sententias laxiores quas docere solebant haud pauci e probabilistis antiquioribus. Hujusmodi v.g. est sententia affirmans semper licitum esse agere adversus legem quam non omnino evidenter *constet* obligare:[3] atque altera ista, ob nimiam laxitatem a S. Sede merito damnata: "generatim dum probabilitate

---

[1] Gury (Ed. Rom.), Part. i. n. 60.

[2] Lib. i. tract. i. *De Conscientia*. (Morale Systema) n. 76.

[3] Ita v.g. Caramuel, *Theologia Fundamentalis* (apud Gonzalez, infra citand. Diss. iii. § 10).

. . quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus."[1] Quae tamen, ut videtur, ex argumentis jam n. 275. recensitis vix minus plane profluunt quam sententiae ibidem exscriptae.

277. Itaque inspiciendum est num reipsa liceat ea quae de ignorantia invincibili prioris generis stabilita sunt, ad invincibilem ignorantiam alterius generis transferre. Quod facile ostenditur nullo modo licere. Sit igitur

278. **Principium III.**—*Ignorantia* invincibilis *alterius generis* n. 252. *recensiti non tollit voluntarium.*

279. Etenim ille actionis effectus aut circumstantia, cujus formido aut suspicio adest, profecto voluntarius est, quatenus agens, quum advertat ad probabilitatem aut periculum istius ex actione secuturi, eundem *in confuso* praevidet sensu n. 94. exposito; ideoque hic quoque valet ratio n. 261. tradita de ignorantia *vincibili.* Sic v.g. si quis dubitat an hodie sit obligatio abstinendi a carnibus, neque dubium, adhibita diligentia omni morali, depellere valet, hic, ut ait S. Alphonsus,[2] obligationem *ignorat*, et quidem *invincibiliter;* jamvero si sic dubitans aut formidans manducat carnes, haud minus voluntarie se exponit periculo legis, saltem *materialiter*,[3] ut aiunt, transgrediendae, quam si ageret ex ignorantia *vincibili;* neque enim ratio Principii I. n. 261. tradita desumitur ex eo quod ignorantia est *vincibilis*, nisi quatenus in hujusmodi ignorantia adest quaedam dubitatio, formido, aut suspicio rei quae ignoratur; haec autem omnino eodem modo adest in ignorantia *invincibili* secundi

---

[1] Prop. 3ª ab Innocentio XI. damnata. Vid. Gury, Part. i. n. 58.
[2] Supra, n. 275. cit.
[3] Vid. infra, Cap. 3. n. 390.

generis, de quo hic agimus. Ideoque hujusmodi ignorantia voluntarium non tollit.

280. COROLLARIUM. *Hujusmodi ignorantia voluntarium minuit.*—Etenim hic quoque, ut patet, valet ratio n. 262. tradita.

281. Ex his plane sequitur nullo modo inferri posse actionem esse ideo a culpa immunem, quod agens invincibiliter careat *scientia* obligationis qua actio prohibeatur, seu, aliis verbis, quod, hoc sensu, *invincibiliter ignorat* actionem esse illicitam. Et quidem in Tractatu *de Conscientia*, agentes de Probabilismo, videbimus hujusmodi actiones aliquando immunes a culpa esse, aliquando non.[1]

282. At quis fortasse, ex argumento a probabilistis antiquioribus saepissime adhibito, adversus principium n. 278. traditum objiciat ignorantiam invincibilem cujusvis generis necessario a culpa excusare, quum ea sane nequeant in culpam imputari, quae ne adhibita quidem diligentia morali evitari possint. Quibus respondendum est cum theologo e castris antiprobabilistarum insigni:[2] (*a*) *indirecte*, argumentum istud nimium probare; probaret enim *semper* licere adversus legem agere quoties non omnino *constaret* legem hic et nunc obligare; quod tamen nemo hodie affirmabit;[3] (*b*) *directe*, ostendendo argumenti fallaciam: "Fallacia autem consistit in eo quod ad *actionem* transfert excusationem quae solum habet locum respectu *defectus scientiae:* aliud enim est mihi non imputari ad culpam *defectum scientiae notificantis mihi existentiam praecepti*, postquam, facta sufficienti diligentia ad inquirendam veritatem, non potui assequi cognitionem: aliud, non imputari ad culpam

---

[1] Vid. v.g. S. Alph., Lib. i. Tract. 1. *De Conscientia*, nn. 26-39; Gury, Part. i. nn. 75-77.
[2] Gonzalez, *Fundamentum Theologiae Moralis*, Diss. 7, sect. xi.
[3] Vid. v.g. S. Alph. et Gury, ibid.

operationem subsecutam ad illam dubitationem. Nam quamvis ego non sim reprehensibilis eo quod *non habeo scientiam*, [sicut v.g. venator, qui, adhibita diligentia morali, scire nequit utrum homo an fera sit objectum inter dumeta latens, utique non est reprehensibilis eo quod hac scientia caret], tamen fieri potest ut sim maxime reprehensibilis si post illam dubitationem nihilominus *prodeo in actionem* de qua ob urgentissimas rationes dubitabam an esset peccaminosa [sicut v.g. reprehensibilis est venator si rem, ut supra, etsi *invincibiliter ignorans*, glandem tamen plumbeam e sclopeto emittit in objectum de quo dubitatur.]"[1] De quibus omnibus plura in Tractatu *de Conscientia* videbimus.

283. Ex his patet propositionem 2am ab Alexandro VIII. damnatam, "Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec, in statu naturae lapsae, operantem ex ipsa non excusat a peccato formali," non ideo damnatam esse quod negaret a peccato excusare ignorantiam invincibilem secundi generis hactenus expositi. Exemplum enim traditum ostendit reipsa affirmari non posse ignorantiam hujusmodi *semper* excusare; immo eam *nunquam* excusare, nisi in iis casibus in quibus *longe probabilius* videatur obligationem de qua agatur non existere, docent TT. ii omnes qui vocantur Probabilioristae, quorum quidem sententia, quantumvis a vero aliena, tamen ab Ecclesia damnata censeri omnino non potest.

284. Ideo autem merito damnata est propositio citata, quia, quum verbis generalibus proferatur, intelligi potest de ignorantia invincibili prioris generis; quo sensu reipsa prolata est ab auctoribus e quorum operibus desumpta est.[2]

---

[1] Ita Gonzalez, *Fundamentum Theologiae Moralis*, Diss. 7. sect. xi.

[2] Vid. Viva, *Damnat. Thes. Theol. Trutina*, in prop. 2m damnatam ab Alexandro VIII.; Billuart, *Tract. de Peccatis*, Diss. 5. art v.

285. **Resolves**[1]—1° Pueri, etiam ii qui usum rationis adepti sunt, etsi *materialiter* peccant facientes ea quae de se illicita sunt, tamen si haec agant sine ullo conscientiae angore vel suspicione inhonestatis, non peccant *formaliter*, seu ita ut haec in culpam possint illis imputari:[2] a culpa enim, seu a *formali* peccato, excusat ignorantia priore modo (n. 252.) invincibilis.—Neque postea, quando cognoverint ea illicita fuisse, tenentur ea confiteri; nam peccata tantum *materialia* non respicit praeceptum confessionis.

2° Conjux peccans cum muliere quam, priore modo n. 252. exposito, invincibiliter ignorat esse sororem uxoris suae, reus est *adulterii*; non tamen *incestus*, utpote eo modo invincibiliter ignorati. Vid. supra, nn. 42, 92.

3° Si confessarius, medicus, vel judex, etsi advertat sibi deesse sufficientem scientiam ad fungendum, uti par est, officio suo, nihilominus pergat munus exercere, non adhibita diligentia debita ad scientiam acquirendam, tenebitur de erroribus quos ex suo agendi modo secuturos advertat.—De confessariis etc., quatenus non advertant se carere scientia debita, vid. antea, n. 255.

De aliis quae ad haec spectant, vid. Gury, *Casus Conscientiae*, Casibus 6° et 7°.

§ 2. *De Concupiscentia.*

286. Nomine *concupiscentiae* haud raro intelligitur prava ista atque deordinata inclinatio appetitus, sive inferioris sive superioris, ex originali peccato exorta, qua homo fertur in ea quae rectae rationi adversantur: de quo loquitur Apostolus, Gal., v. 17:—"Caro concupiscit adversus spiritum:" atque Rom., vii. 19-24., id latius evolvens:—"Quod nolo malum, hoc ago . . jam non

---

[1] Quae sequuntur, a Gury (Part i. n. 14) tradita, fere ad verbum exscripsi.

[2] De peccato *materiali* ac *formali*, vid. infra, Cap, 3. n. 390.

ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet; condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?"

287. Hic autem concupiscentia intelligitur sensu omnino diverso. Sit igitur

288. **Definitio.**—*Concupiscentia*, sicut hic intelligitur, est *motus appetitus sensitivi in bonum sensibile tendentis.* Quae definitio satis intelligi potest ex supra (nn. 3, 5.) dictis.—Item patet hunc sensum a priore jam exposito differre duplici ratione: nam (*a*) hic non agitur de sola *inclinatione* seu *dispositione* appetitus, sed de ejusdem *motu* seu *actu:* neque agitur (*b*) de iis tantum bonis quae *rectae rationi adversantur*, sed de *bono quovis sensibili;* etsi enim concupiscentia, etiam quatenus significat appetitus *motum*, aliquando strictius sumitur ad designandum appetitum tendentem in bonum quod rectae rationi adversatur, v.g. desiderium vindictae et alia ejusmodi, tamen communius accipitur ad designandos etiam motus quibus appetitus tendit in bona sensibilia quae rectae rationi minime adversantur, ut v.g. quum quis esuriens desiderat cibum comedere.—Concupiscentia sic exposita solet etiam *passio* vocari.[1]

289. **Divisio.**—Concupiscentia distinguitur 1° ratione intensitatis; 2° ratione modi quo pendeat ex actu voluntatis.

---

[1] Vid. v.g. Laymann, Lib. i. Tract. ii. cap. v. n. 1. *De Passionibus* speciali Tractatu disserit Suaresius, vid. ejus Opera, (Ed. Vives), Tom. iv. p. 455.

290. Sic 1°, ratione intensitatis, est *gravissima*, *gravis*, et *levis*. *Gravissima* dicitur ea quae adeo vehemens est ut usum rationis omnino perimat. *Gravis* dicitur ea quae animum ita perturbat ut usum rationis, etiamsi non tollat, notabiliter tamen impediat. *Levis* denique dicitur ea quae rationis usum vix perturbat.

291. Quae divisio ut intelligatur, notandum est concupiscentiam in actum humanum influere avertendo intellectum ab iis perpendendis motivis quae ab objecto concupito retrahant, atque sic efficiendo ut vividius et intensius apprehendatur id omne quod in eodem sit delectabile: quae quo magis efficiuntur, eo magis, ut patet, impeditur rationis usus qui requiritur ad perfectum voluntarium.

292. Concupiscentia 2°, ratione modi quo pendeat ex actibus voluntatis, est *antecedens* vel *consequens*: quae voces eodem sensu hic intelliguntur quo jam sunt expositae in divisionibus ignorantiae recensendis.[1] *Antecedens* igitur ea est quae ordine causalitatis antecedit omnem voluntatis consensum, adeo nempe ut neque *in se*, neque *in causa*, voluntaria sit. *Consequens* dicitur ea quae voluntatis actum subsequitur, sive (*a*) ex eo quod voluntas directe et ex industria excitat illum appetitus motum, qui ideo erit voluntarius *in se*, sive (*b*) ex eo quod voluntarie fit aliquid ex quo sequitur ejusmodi motus, qui ideo erit *in causa* voluntarius si adsint conditiones supra (nn. 92-100.) recensitae. Exemplum concupiscentiae *antecedentis* est in eo qui ex fortuito aspectu rei turpis movetur ad delectationem carnalem, aut qui movetur ad desiderium vindictae ex eo quod quis ignominia eum afficit. Concupiscentia *consequens*, ut patet ex ejus definitione jam tradita, duobus modis esse potest: altero (a), quo est

[1] Vid. supra n. 240.

voluntaria *in se*, cujus exemplum est in eo qui oculos in objectum turpe aut in inimicum conjicit, eo animo ut in se excitet carnalem delectationem aut desiderium vindictae; altero (b) quo est voluntaria *in causa*, cujus exemplum est quum vehemens voluntatis motus redundat in appetitum sensitivum;[1] item quum quis librum in se honestum, causa animi recreandi, legere pergit postquam advertit fore ut desideria turpia, etsi omnino praeter intentionem, inde excitentur; item quum quis in aliquo loco deambulat postquam advertit fore ut, si ibi maneat, desiderium vindictae, etsi omnino praeter ipsius intentionem, inimico tamen obviam ei veniente, excitetur.

293. **Principium I.**—*Concupiscentia* antecedens, *quo major est et vehementior, eo magis imminuit voluntarium, et ideo peccatum; immo, si gravissima sit, a peccato potest omnino excusare.*

294. Ratio est quia, ut supra (n. 291.) vidimus, ejusmodi motus appetitus sensitivi rationis usum aliquatenus saltem perturbat. Porro, quo magis impeditur perfecta intellectus deliberatio, eo magis minuitur voluntarium. Ideoque sic fieri potest ut intellectus passione vehementissima ita perturbetur atque excaecetur ut voluntarium omnino tollatur.

295. Utramque principii partem sic declarat S. Thomas:[2]—" Passio quandoque quidem est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his qui propter amorem vel iram insaniunt; et tunc si talis passio . . non fuerit voluntaria . . actus omnino redditur involuntarius, et per consequens *totaliter* a peccato

---

[1] Vid. Gury (Ed. Rom.), Part. i. n. 15. nota.

[2] *Summa*, 1. 2. Quaest. 77. art. 7. Vid. Suarez, *Tr. de Voluntario*, Disp. 3. sect. iii. n. 8; Laymann, Lib. 1. tract. ii. cap. v. n. 3; Sporer, Tract. 1. cap. ii. n. 64.

excusatur. Quandoque vero passio non est tanta quod totaliter intercipiat usum rationis; et tunc ratio potest passionem excludere . . Unde talis passio *non totaliter* excusat a peccato."

296. Simul vero animadvertendum est concupiscentiam, efficiendo ut objectum voluntati repraesentetur ut magis amabile ac delectabile, augere voluntarium, quatenus hoc significet *propensionem voluntatis* in objectum tendentis; neque minuere illud nisi quantum voluntarium exigat *intellectus cognitionem.*

297. **Principium II.**—*Concupiscentia* consequens, *eodem modo quo* antecedens, *minuit aut tollit voluntarium* in se: *neque tollit vero neque minuit voluntarium* in causa.

298. Pars *prior* constat ex eo quod concupiscentia, sive *antecedens* est sive *consequens*, omnino eodem modo influit in actum, impediendo, quamdiu manet, quominus intellectus rite perpendat utriusque partis rationes seu momenta. Unde S. Thomas[1] (n. 295.) de concupiscentia etiam *consequente* ait "quandoque tanta est quod totaliter aufert usum rationis."

299. *Altera* pars principii probatur ex eo quod, etsi, ut supra expositum est, minuitur deliberatio intellectus et ideo voluntarium *in se*, fieri tamen potest ut ille defectus sit omnino voluntarius *in causa*, quae est ipsa concupiscentia *consequens* seu *voluntaria.* "Si passio," ait S. Thomas,[2] "a principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa, *sicut etiam de ebrietate dictum est.*" Neque tamen haec doctrina, ut satis declarat exemplum allatum, ita intelligenda est ut voluntarius *in causa* censeatur defectus

---

[1] *Summa*, 1. 2. Quaest. 77. art. 7.
[2] Ibid.

deliberationis, aut peccata quae inde profluant, nisi adfuerint conditiones supra (nn. 92-100) recensitae.

300. Huc quoque spectant ea quae insuper de his tradit S. Thomas:[1] "Passio consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet *demonstrat intensionem voluntatis* ad actum peccati. Et sic verum est quod quanto aliquis majore libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat."

301. Nec denique censendum est haec respicere tantum voluntatem *peccandi*; quum enim passiones, quo sensu hic intelliguntur, velut calcaria sint quibus humanae operationes, sive ad bonum sive ad malum concitatae, magis stimulentur,[2] ideo tenenda sunt ea quae hactenus dicta sunt, sive agitur de voluntate peccandi, sive de voluntate rei honestae efficiendae, ut v.g. ait Laymann,[3] si quis in se ideo excitet magnum misericordiae affectum ut eo impellatur ad abundantius succurrendum egeno. Unde ait S. Thomas:[4] "Bona passio, consequens judicium rationis, augmentat meritum:" et alibi:[5] "Quando ex forti motu voluntatis commovetur appetitus sensitivus ad passionem, passio addit meritum vel demeritum, quia est signum quod motus voluntatis sit fortior: et hoc modo verum est quod ille qui cum majore compassione facit eleemosynam magis meretur, et qui cum majore libidine facit peccatum, magis peccat; quia hoc est signum quod motus voluntatis sit fortior."

302. **Resolves.**—1° Rationi omnino conformis est communis hominum persuasio qua judicatur aliquem minus deliquisse atque venia aliqua esse dignum, qui in

---

[1] Ibid. art. 6. Vid. Laymann, Lib.. 1. tract. ii. cap. v. n. 1.
[2] Ita TT. communiter. Vid. Laymann, Lib. 1. tract. ii. cap. v. n. 1; Sporer, Tract 1. cap. ii. n. 61.
[3] Lib. 1. tract. ii. cap. v. n. 1.
[4] *Summa*, 1. 2. quaest. 77. art. 6. ad 2.
[5] *De Malo*, Quaest. iii. art. 11.

malum non consenserit nisi gravi passione vel tentatione victus: quale peccatum *infirmitatis* potiusquam *malitiae* esse censetur.[1]—Vix unquam tamen evenit ut concupiscentia, nisi *gravissima* (quae rarissime adest), ita rationis usum perturbet ut peccatum, alioquin mortale, fiat tantum veniale.

2° Facilius concedi debent dispensationes votorum quae passione impellente emissa sunt: quia minus voluntaria sunt vota ejusmodi; quapropter non debet eorum obligatio tam stricte urgeri.[2]

303. AA. quidam, v.g. Gury,[3] hic quaedam tradunt de concupiscentia quatenus hac voce designatur *fomes peccati*, seu prava ista animi inclinatio quam respiciunt verba Apostoli supra (n. 286.) citata. At vero, ut animadvertit P. Ballerini,[4] locus de his disputandi communiter, et quidem merito, in Tractatu *de Peccatis* invenitur; non enim pertinent ad quaestionem praesentem, quae versatur tantum de iis quae minuunt aut tollunt voluntarium.

§ 3. *De Metu.*

304. **Definitio.**—*Metus* in jure civili definitur *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio*:[5] aliis verbis est *mentis trepidatio exorta ex apprehensione mali instantis vel futuri.*

305. De qua definitione hoc unum fortasse notandum est, hic agi non solum (*a*) de ea trepidatione qua animi facultates perturbentur, adeo ut is, qui metum patiatur, vel omnino vel aliquatenus incapax fiat eliciendi actum humanum, sed insuper (*b*) de ea qua solent homines ob

---

[1] Vid. Sporer, Tract. 1. cap. ii. n. 64; Laymann, Lib. 1. tract. ii. cap. v. n. 3.
[2] Vid. Viva, *Opusc. Theol. Moral. I.*, Quaest. 8. art. i. n. 3.
[3] Vid. Gury (Ed. Rom.), Part. i. n. 16.
Ibid, *nota.*
[5] L. 1. ff. *Quod metus causa.*

malum apprehensum ita animo affici ut, etiamsi omnino sui compotes maneant, tamen, ut malum evitent, moveantur ad agendum alio modo quam, si metus abfuisset, egissent : sicut v.g. quum quis ad matrimonium ineundum impellitur eo quod timet ne, si fregerit fidem, damnetur ad magnam pecuniae summam solvendam puellae cui fidem dederat ; aut quum peccator ex metu gehennae movetur ad poenitendum.

306. **Divisio**.—Metus pluribus modis distinguitur. Sic

307. Est 1° *gravis* vel *levis :* quae divisio intelligi potest aut *subjective*, seu ratione *affectionis* gravioris vel levioris reipsa in mente exortae ; aut *objective*, seu ratione *mali ex quo apprehenso* metus exortus est.

308. Sive vero *subjective* sive *objective* intelligitur, haec divisio hic fuse exponenda est ; ex ea enim pendent quaestiones quamplurimae et maximi quidem momenti, in Tractatibus *de Contractibus* et *de Matrimonio* postea inspiciendae, in quibus solvendis TT. multum inter se dissentiunt, et quidem praesertim, ut notat Carriere,[1] quia non semper accurate exponitur quaestionis sensus, quum non semper satis clare explicetur quo sensu sumantur eae voces, metus *gravis* et *levis*.

309. Ideoque I. si res sumitur *subjective*, haec divisio aliquando eodem sensu intelligitur quo eadem divisio concupiscentiae supra (n. 290.) exposita. Neque dubium est quin metus, perturbando illum in quem cadit, aliquando minuat, et quidem notabiliter, usum rationis. Insuper divisionis sic expositae membrum tertium, *gravissimum* metum, apponere licet : quod etiam intelligendum est sensu ibidem exposito.

---

[1] *De Contractibus*, Part. i. n. 78.

310. Quod si metus, etsi plenum rationis usum minime impedit, agentem tamen notabiliter commovet, ita ut modo n. 305. exposito eum graviter moveat ad aliquid magni momenti agendum, v.g. ad contractum de re gravi ineundum, potest esse quaestio de nomine, an metus debeat ideo dici *subjective gravis.*[1] Quod ad rem attinet omnino nihil refert utrum affirmative respondeatur an negative. Secundum usum saltem communiorem solet hujusmodi metus *subjective gravis* appellari: neque videtur esse cur non ita appelletur.

311. Deinde II. si res sumitur *objective*, divisio metus in *gravem* et *levem* duas adhuc habet partes: etenim sermo esse potest (*a*) de metu *absolute* gravi et levi, vel (*b*) de metu gravi et levi *respective.*

312. Sic (*a*) dicitur *absolute gravis* quum *ex ratione probabili* aliquod *malum ex se grave* apprehenditur ut *certo* aut *probabiliter* metuenti eventurum: secus dicitur *absolute levis.*

313. Ideoque ut censeatur *absolute gravis* requiruntur tria. Requiritur 1° ut *ex se grave* sit *malum* quod apprehendatur; porro *ex se gravia* censentur ea mala quae, quum apprehenduntur ut certo aut probabiliter eventura, *notabiliter commoventi viros ordinariae constantiae*, eos nempe qui neque timiditate neque animi fortitudine prae ceteris insignes sint: ejusmodi mala sunt v.g. mors; gravis corporis cruciatus; carcer diuturnus; exsilium; amissio famae, honoris, notabilis partis bonorum fortunae, etc., etc. Requiritur 2° ut malum apprehendatur tanquam *certo* aut *probabiliter eventurum;* idque sive apprehendatur ut *directe* eventurum metuenti ipsi, sive ut *indirecte* tantum, quatenus eventurum aliis aut sanguine aut amicitia ita ei conjunctis ut mala eorum ipsi propria

---

[1] De his vid. Viva, *Opusc. Theol. Moral.* I, Quaest. 4. art. ii. nn. 1, 2. 3; Lacroix, Lib. iii. part. 2. *De Contractibus*, n. 631.

censeantur. Requiritur 3° ut malum ita eventurum apprehendatur non ex animi duntaxat levitate, sed *ex ratione gravi* seu *probabili*.

314. Ideoque e contrario metus dicitur *absolute levis* cui deest vel unum ex tribus recensitis. Sic *absolute levis* censetur metus quo timetur 1° *malum ex se leve*, seu malum ejusmodi, quod, etiamsi apprehenderetur ut probabiliter aut certo eventurum, tamen non notabiliter commoveret virum constantiae ordinariae: aut 2° timetur malum ex se quidem grave, quod tamen *non* apprehenditur ut *certo* neque ut *probabiliter* eventurum: aut 3° timetur malum quod etsi ita eventurum apprehenditur, apprehenditur tamen *ex ratione levi* nec vere probabili.

315. Metus *absolute gravis* solet insuper dici *metus cadens in virum constantem;* quum nemo, licet sic timeat, censeatur ideo amittere nomen viri constantis. Dicitur etiam *justus*, et *probabilis: justus*, quoniam quis *juste*, seu merito, sic timet; et *probabilis*, quoniam nemo ob timorem sic conceptum *improbari* debet.[1] E contrario, metus *absolute levis* dici potest metus *non cadens in virum constantem*, atque etiam *injustus*, et *improbabilis*.

316. Deinde (*b*) potest metus (adhuc spectatus *objective*) esse *respective gravis* vel *respective levis*, quae divisio satis intelligitur ex hactenus dictis. Metus enim *respective gravis* ille dicitur qui, etiamsi sit *absolute levis*, tamen ex triplici capite supra n. 313. recensito, gravis est relative ad aliquod genus hominum, v.g. ad senes, mulieres, pueros, etc.; eo quod hujusmodi malum sic apprehensum solet notabiliter commovere eos qui *in illo genere* censentur *constantiae ordinariae*, qui nempe prae ceteris *ejusdem generis* neque timiditate neque animi fortitudine insignes sint. Neque enim 1° requiritur

---

[1] Vid. Sanchez, *Tr. de Matrimonio*, Lib. 4. disp. iii. n. 5.

malum adeo grave, neque 2° periculum illius adeo propinquum, neque 3° tam probabilis ratio illius apprehendendi, ut merito seu juste timere censeantur ii qui ad hujusmodi hominum genera pertinent.—E contrario metus *respective levis* ille est qui, etiamsi *absolute* est *gravis*, tamen sensu exposito levis est relative ad aliquod genus hominum, v.g. ad milites, etc., qui non solent tam facile timore affici.

317. Quod supra (n. 315.) dictum est de metu *absolute* gravi, hic etiam de metu *respective* gravi intelligendum est; sic Sanchesius,[1] exponens illos textus juris qui statuunt contractus quosdam fieri invalidos eo quod initi sunt ex metu *in virum constantem cadente*, ait "ea verba magis proverbii loco, pro eo metu qui *non* . . *vanus* sit, accipienda esse, quam ut verbis [de *viro* constante] inhaerendum sit: unde [si agatur de contractu a *femina* inito] sufficiet metus qui cadat v.g. *in feminam constantem;* quare . . . pensandum est quid *femina* constans tunc metueret, pensata naturali feminarum constantia, quibus a natura inest minor animi vigor, corporisque fortitudo."

318. Atque "idem," ait, "dicendum est, eadem ratione, non tantum in femina respectu viri, sed etiam *inter ipsos viros*: ut enim discernatur quis sit metus 'cadens in virum constantem,' attendenda est aetas, si senex, vel puer sit, cui metus incutitur."

319. Neque, ut idem adhuc rem prosequitur, inspiciendum est solum quid timerent viri *constantes illius aetatis* de qua agitur, sed etiam quid *rationabiliter* timere debeat *ille qui metu afficitur*, adeo ut inspici debeat *ipsius metuentis* "fortitudo, innataque animi magnitudo aut parvitas et fragilitas:" seu, aliis verbis, ut ait Lacroix, metus *respective gravis* intelligitur de eo "propter quod

[1] Ibid. n. 3.

non trepidaret quidem vir fortis, tamen judicio prudentium *merito* trepidat *hic homo*."[1]

320. Ex dictis facile intelligitur quomodo fieri possit ut metus qui *objective* spectatus omnino *levis* sit, tum *absolute* tum *respective*, tamen possit esse *subjective gravis* immo et *gravissimus ;* idque sive gravitas subjectiva, ex duobus sensibus supra expositis, intelligatur (*a*) eo sensu[2] quod quis ita animo afficiatur ut malo apprehenso notabiliter moveatur ad agendum alio modo quam aliter egisset, sive (*b*) eo etiam sensu[3] quod facultates adeo perturbentur ut usus rationis impediatur vel omnino tollatur. Etenim hoc plane fit quoties quis, alterutro modo exposito, *notabiliter* animo afficiatur ex apprehenso mali periculo quod tamen ejusmodi non est quo *rationabiliter* sic affici debeat: de quali metu ait regula juris 184ª, "Vani timoris justa excusatio non est."[4]

321. Metus 2° est *ab extrinseco* vel *ab intrinseco*. Porro haec quoque divisio, sicut tot aliae quae in Tractatu *de Actibus Humanis* traduntur, duobus sensibus haud parum inter se diversis intelligi solet.

322. Etenim (*a*) sunt AA. qui metum *ab extrinseco* dicant eum qui provenit ex *causa externa ;* quae quidem causa, ut animadvertere solent, potest esse vel *libera*, ut v.g. homo, vel *necessaria* seu *naturalis*, ut v.g. incendium, ferarum incursus, naufragium, etc., etc. Hi igitur *ab intrinseco* vocant metum mali, quod non *ab extrinseco*, sed metuenti ipsi *intrinsecum*, eventurum apprehenditur, qualis v.g. est infirmitas mentis, morbus, et alia hujusmodi. Hoc sensu divisionem exponit v.g. Gury.[5]

---

[1] Lacroix, Lib. iii. Part. 2. *De Contractibus*, n. 613. Vid. Crolly, *De Justitia et Jure*, Vol. 2. n. 147; A. Mayr, *Theol. Scholastica*, Tract. 4. disp. i. n. 42.

[2] Vid. n. 310.

[3] Vid. n. 309.

[4] Vid. etiam De Lugo, *De Justitia et Jure*, Disp. 22. sect. vii. n. 135; Carriere, *De Contractibus*, nn. 78. 79; *De Matrimonio*, n. 768.

[5] Part. i. 17, 2°. Vid. etiam Bouquillon, *Theol. Moral. Fundamentalis*, Lib. 1. cap. ii. n. 54.

323. Alii vero (*b*) metum *ab extrinseco* dicunt eum tantum qui *ab alio incutitur eo fine ut metuens moveatur* ad aliquid faciendum aut omittendum: quod potest fieri aut *juste* aut *injuste; juste*, si incutitur ab eo qui jus habet id agendi, v.g. quum Princeps metu supplicii subditos movet ad leges servandas; *injuste*, quum incutitur ab eo qui jus ita agendi non habet, v.g. quum latro viatori mortem intentat.[1] Hoc igitur verborum sensu metus dicitur *ab intrinseco* quum non ita incutitur, sed *ipse metuens*, ad avertendum malum, sive ex causis naturalibus, sive ex alio quocunque infortunio, imminens, *ultro eligit* aliquod medium quod alioquin non elegisset; ut v.g. quum mercator ad vitam conservandam merces in mare projicit, aut quum quis homicidii reus pecuniam ministris justitiae offert ut incolumis evadat. Ex his patet distinctionem hoc sensu secundo acceptam non desumi ex eo quod *malum* timeatur *ab extrinseco* aut *ab intrinseco eventurum*, sed ex eo quod *ab extrinseco* aut *ab intrinseco* provenit *nexus*, seu influxus, quo metus fit causa cur aliquid fiat aut omittatur.

324. Metus 3° est *antecedens* vel *concomitans;* quae voces intelligendae sunt sensu n. 241. exposito in divisionibus ignorantiae tradendis. Itaque *antecedens* dicitur metus qui actionis *causa* est, voluntatem movendo ad agendum: sicut v.g. naufragii metus mercatorem movet ad merces in mare projiciendas, metus mortis movet apostatam ad fidem negandam, metus gehennae peccatorem movet ad contritionem: quae sic fiunt, dicuntur fieri *ex metu.* Metus *concomitans* ille est qui adest dum actus perficitur, tamen non est causa quae agentem ad actum movet: exemplum est in peccatore qui, gehennam quidem timens, ad contritionem tamen movetur non eo motivo, sed alio quopiam ex iis quae in

---

[1] Vid. v.g. S. Alphons., Lib. 6. Tract. 6. *De Matrimonio*, n. 1046.

Tractatu *de Poenitentia* recensentur :[1] in ejusmodi enim poenitente gehennae metus non est *causa* actus, sed tantum ejus *comes* ; et ideo non debet hoc sensu *antecedens* dici, sed tantum *concomitans*. Ut supra[2] de Ignorantia dictum est, ea quae sic fiunt non solent dici *ex metu*, neque *propter metum*, sed tantum *cum metu*, fieri.

325. Hic denique loquuntur TT. de metu *reverentiali*, quo quis timet ne parentes vel alios superiores habeat offensos. Sic "filius," ait Sporer,[3] "timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus principis, monachus praelati, clericus episcopi, uxor mariti." Ejusmodi metus, ut patet ex hactenus dictis, potest esse *gravis* aut *levis; ab extrinseco* aut *ab intrinseco; antecedens* denique aut *concomitans;* prout adsunt conditiones supra recensitae in divisionibus his omnibus jam traditis exponendis.

326. **Principium I.**—*Voluntaria sunt ea quae ex metu quantumvis* gravi *fiunt, dummodo metus non sit* gravissimus *seu adeo vehemens ut rationis usum omnino perimat.*

327. Ratio est quia metus, nisi sit *gravissimus* (n. 309.), non tollit advertentiam intellectus, neque voluntatem privat facultate se determinandi in hanc vel illam partem. Etsi enim vim aliquam, eamque aliquando notabilem, habet ad voluntatem movendam, haec tamen ejusmodi non est quae valeat voluntatem cogere, neque efficere potest ut consentiat voluntas, nisi quatenus ipsa velit, in aliquid faciendum aut omittendum. Vid. exempla mercatoris et apostatae n. 47. tradita.

328. Rem luculenter tradit S. Bernardus, de lapsu S. Petri disserens[4] :—"Veniat," inquit, "in medium Petrus

---

[1] Vid. v.g. Gury, Part. ii. n. 449. II.
[2] Vid. n. 241.
[3] Tract. 1. cap. ii. n. 48.
[4] Lacroix, Lib. iii. part. 2. *De Contractibus*, n. 613. Vid. De Lugo, *De Contractibus*, Disp. 22. sect. vii. n. 111 ; Crolly, *De Justitia et Jure*, Vol. 2. n. 147 ; A. Mayr, *Theol. Scholastica*, Tract. 4. Disp. i. n. 32.

Apostolus: ipse quippe visus est negare veritatem contra propriam voluntatem; siquidem aut negare aut mori necesse erat. Mori timens negavit. *Negare nolebat, sed magis nolebat mori* . . Negavit, ne moreretur. . . Peccavit ergo, et *non absque consensu propriae voluntatis*, infirmae quidem et miserae, sed *plane liberae.* . . Si Christum non amasset, non negasset invitus; verum si se amplius non amasset, non aliquatenus negasset."

329. **Principium II.**—*Metus* subjective gravis, *quo gravior est et vehementior, eo magis imminuit voluntarium et ideo peccatum; immo si* gravissimus *sit, voluntarium tollit, et ideo omnino excusat a peccato.*

330. Vix opus est notare principium hoc intelligendum esse de metu qui *subjective gravis* dicitur eo sensu[1] quod, perturbando animi facultates, sic usum rationis vel minuit vel etiam tollit. Porro satis ex hactenus dictis patet voluntarium, et ideo peccatum, eo magis minui quo magis sic impediatur plena intellectus deliberatio. Immo etiam, ut supra[2] de Concupiscentia dictum est, sic fieri potest ut intellectus gravissimo metu adeo perturbetur ut voluntarium, et ideo peccatum, omnino tollantur.

331. Ex dictis vero n. 327. quoque constat peccatum alioquin mortale non adeo sic minui ut fiat tantum veniale, nisi metus rationem adeo perturbet ut voluntarium fiat *imperfectum:* quod quidem raro evenit. Atque rarissime evenit ut metus sit *gravissimus*, qui voluntarium, et sic peccatum, omnino tollat.[3]

332. **Principium III.**—*Metus* subjective levis *non tollit, immo vix minuit, voluntarium aut peccatum.*

---

[1] Vid. n. 309.
[2] Vid. supra, nn. 294, 295.
[3] Vid. supra, n. 302. 1°.

333. Namque eatenus tantum potest minuere voluntarium, quatenus, usum rationis impediendo, minuit rei cognitionem. Hoc igitur principium plane profluit ex definitione metus *subjective levis* supra (nn. 290, 309,) tradita.

334. Hactenus locuti sumus de metu quatenus peccatum minuit aut tollit minuendo aut tollendo voluntarium quod requiritur ad peccandum. At vero aliis duabus rationibus a peccato excusari possunt ea quae adversus legem *ex metu* fiunt.

335. Et quidem *primo*, nonnunquam fit ut lex suam vim obligandi omnino amittat ex eo quod oriatur periculum gravis mali eventuri ex lege observanda.[1] Sic v.g. ab obligatione jejunandi excusantur convalescentes qui, testimonio medicorum innixi, timent ne jejunando in morbum recidant.[2] Etiamsi enim carnes aut alios cibos vetitos omnino voluntarie comedunt, adeo ut actus comedendi perfecte humanus sit, tamen non peccant; quia legislator non censetur in ejusmodi rerum adjunctis obligationem legis urgere: immo aliquando, quum incommodum oriturum omnino gravissimum est, exsuperat potestatem legislatoribus a Deo concessam istiusmodi onus subditis imponere.[3] In hoc tamen Tractatu non agitur de excusatione quae sic provenit ex eo quod legis obligatio cessat; de qua infra, in Tractatu *de Legibus*, agendum erit.

336. *Secundo*, etiam in iis rerum adjunctis in quibus lex vim obligandi omnino retinet, peccatum legem transgredientis solet minui ex eo quod ille qui legem non transgrediatur nisi propter metum, eundem utique non habet affectum peccandi qui adest quum quis

---

[1] Vid. v.g. Gury, Part. i. n. 100. Princip. iv.; n. 108. Princip. iii.

[2] Ibid. n. 507, 2°.

[3] Vid. Suarez, *Tract. de Legibus*, Lib. 3. cap. xxx. n. 6. (Ed. Vives. Tom. 5. p. 294.); Lib. 6. cap. vii. n. 11 (Ibid, Tom. 6. p. 33.); Viva, *Opusc. Theol. Moral. I.*, Quaest. iv. art. 3, 4, 5; Gury, ibid.

omnino sponte, et nullo metu urgente, adversus legem agit: immo ejusmodi opus ex metu factum, etsi *perfecte*[1] voluntarium est, tamen, ut animadvertit Gury,[2] sociatam quandam voluntatis tristitiam et repugnantiam, licet inefficacem, habere solet. Huc igitur spectat

337. **Principium IV.**—*Quae ex metu fiunt, etiamsi sint* simpliciter (n. 58.) voluntaria, *plerumque sunt* involuntaria secundum quid.

338. Antequam principium evolvatur, in memoriam revocanda sunt ea quae supra (nn. 56–8.) exposuimus de duobus sensibus quibus locutio "*simpliciter* voluntarium" a TT. sumitur. Ex qua ambiguitate fit ut ipse S. Thomas, de Metu agens, duo tradat quae inter se repugnare videantur: etenim, de iis quae ex metu fiunt, uno loco ait:[3] "*Non sunt simpliciter voluntaria:*" alibi vero de iisdem ait: "*Sunt voluntaria simpliciter,* involuntaria autem secundum quid."[4] De quibus animadvertit Suaresius,[5] aequivocam esse illam vocem *simpliciter*, et ideo distinguendas esse ejus significationes. Aliquando enim ut ait, *simpliciter* voluntarium dicitur ad significandum voluntarium *ab omni admixtione involuntarii immune;* quo sensu locutus est S. Thomas priore loco citato; sic enim ait: "quae ex metu fiunt *non* sunt *simpliciter* voluntaria, *sed mixta.*" Aliquando vero significat rem esse *de facto* volitam per actum absolutum et efficacem voluntatis, sive adsit admixtio involuntarii sive non; quo sensu S. Thomas posteriore loco citato locutus est. Atque hoc secundo sensu haec vox sumitur in principio n. 337. tradito, de quo nunc agendum est.

---

[1] Vid. supra, n. 55.
[2] Part. i. n. 18. Princip. II.
[3] *Summa,* 2. 2. Quaest. 142. art. 3.
[4] Ibid. 1. 2. Quaest. 6. art. 6.
[5] *Tract. de Voluntario.* Disp. 3. sect. i. n. 2.

339. Itaque principii sic expositi ratio est, quia id quod fit ex metu plerumque inspicitur ut malum, neque ab agente eligitur nisi ad aliud malum effugiendum, ut patet in exemplis mercatoris et apostatae saepius supra traditis: ergo voluntas illud aliquo modo aversatur; ideoque, verbis sensu jam exposito adhibitis, dicendum est ea quae sic fiant, etsi *voluntaria* sint *simpliciter*, esse tamen *involuntaria secundum quid.*

340. Hic notandum est locutionem eam, qua TT. in hoc principio enuntiando uti solent, nempe "metum *causare* involuntarium secundum quid," non esse intelligendam quasi "metus . . in actum voluntatis *ipsam*, ut ita dicam, *involuntarietatem influat;* sed quod . . moveat ad actum qui . . contrariatur inclinationi voluntatis: unde *illa involuntarietas reipsa causatur ab amore alicujus boni oppositi.* Sic v.g. dum quis metu naufragii movetur ad projiciendas merces, ista projectio est involuntaria secundum quid, quia repugnat affectui quem projiciens habet conservandi suas merces, unde involuntarium, quod reperitur in ista projectione, non causatur a metu, sed ab amore mercium. Proprius ergo sensus [locutionis citatae] est quod actus qui fiunt ex metu sint involuntarii secundum quid, *quantum supponunt in agente inclinationem contrariam praesenti actui ad quem metus movet.*"

341. Itaque, ut patet, fieri potest ut actus ex metu fiat, omnino tamen ab ista involuntarietate immunis; quod v.g. fit quum quis ad evitandum periculum subito exortum facit aliquid de quo quidem antea non cogitabat, neque alioquin tunc fecisset, quod tamen voluntatis inclinationi nullo modo adversatur.[2] Exemplum est in eo qui iter, v.g. per Hispaniam, causa animi relaxandi,

---

[1] Billuart, *Tr. de Actibus Humanis*, Diss. i. art. 6.
[2] Vid. Arriaga, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 11. sect. iii. n. 13.

suscepturus, se tamen in Italiam confert, consilio ideo mutato quia jamjam profecturus audierit intestinum bellum in Hispania exortum esse; ille quidem ex metu, sine ulla tamen admixtione involuntarii, consilium mutat, si censeatur animo ita dispositus (quod plane quidem facillime esse potest), ut hoc iter suscipiat haud minus libenter quam illud. Immo, ut notant TT.[1], atque facile potest ex eodem exemplo intelligi, sic fieri potest ut ex metu fiat actio quae agenti potius grata quam molesta sit.[2]

342. Denique hic notandum est nihil obstare quominus, in iis etiam casibus in quibus adsit hujusmodi involuntarium, metus ipse valeat illud tollere. Res patet ex exemplo illius qui actum contritionis ob metum gehennae elicit: neque enim dubitandum est quin valeat hujusmodi metus ad deponendam, si adsit, velleitatem istam seu inefficacem inclinationem qua quis secum statuat "nollem a peccando desistere, neque desisterem, nisi ob metum gehennae," quae quidem si adsit, profecto non est a culpa, et quidem gravi, immunis. Etenim idem contritionis motivum quo poenitens movetur ad peccata deserenda, haud minus eum movere debet ad abjiciendam velleitatem istam. Namque, ut rem exponit Billuart,[3] quando ipsa ejusmodi velleitas, seu *secundum quid involuntarium*, "est causa seu fundamentum inductivum mali quod timetur, admitti potest et debet quod metus, si sit efficax, excludit istud involuntarium erga opus quod assumitur ad vitandum malum: sicut si affectus quem mercator ad suas merces habet, seu *involuntarium* [*secundum quid*] quod habet ad illarum projectionem, esset causa naufragii, metus naufragii, si

---

[1] Vid. v.g. Bouquillon, *Theol. Moral. Fundamentalis*, Lib. 1. cap. ii. n. 61.

Et vid. Arriaga, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 11. sect. iii. n. 13.

[2] Id. ibid.

esset efficax, induceret illum non tantum ad projiciendas merces, sed etiam ad deponendum affectum ad illas, et consequenter ad tollendum involuntarium quod est in earum projectione. Quum ergo affectus quem retinet peccator ad peccatum, seu involuntarium in ejus fuga, . . sit inductivum gehennae non minus quam peccatum exterius, ideo metus gehennae, si sit efficax, debet illum affectum et istud involuntarium tollere." Hujusmodi igitur contritionem definit Concilium Tridentinum,[1] "*si voluntatem peccandi excludat*,"[2] esse donum Dei et peccatorem disponere ad justificationem.

343. Ex dictis patet 1am tantum ac 3am ex divisionibus supra traditis inspiciendas esse in hoc Tractatu. Hic enim agitur tantum de quaestione, quatenus metus, *afficiendo animum agentis*, *rationem voluntarii*, et ideo peccati, *tollat* aut *minuat*. Quod quidem, ut hactenus vidimus, pendet praesertim (*a*) ex eo quod metus *subjective* spectatus ejusmodi sit qui aliquo modo, et fortasse etiam notabiliter, rationis usum impediat; atque aliquatenus (*b*) ex eo quod metus sit *antecedens*. Neque enim ullo modo refert (*c*) utrum metus *objective gravis* sit an *levis;* nec (*d*) utrum sit *ab intrinseco* profectus, an incussus *ab extrinseco* sive *juste* sive *injuste*. Neque tamen censendum est haec omnia nulli usui esse: etenim ex iis pendent quaestiones haud paucae, eaeque magni momenti, in Tractatibus *de Contractibus* et *de Matrimonio* solvendae.

§ 4. *De Vi seu Violentia.*

344. **Definitio.**—*Vis* seu *violentia* est *impulsio ab extrinseco illata, cogens ad aliquid agendum aut patien-*

---

[1] Sess. xiv. *De Poenitentia*, Cap. 4.
[2] Vid. infra, n. 648. *nota*.

dum, contra inclinationem ejus cui vis infertur. Exemplum est in eo quem totis viribus reluctantem ministri justitiae in carcerem trahunt; item in eo cujus genua omnino vi externa coram idolo incurvantur, et manus, thuribulo in iis posito, moventur ad incensum idolo offerendum; item in lapide qui sursum projicitur. Ea quae sic efficiuntur *violenta* dici solent.

345. Aliquando *violentia* et *coactio* eodem sensu sumuntur. Saepius vero distinguuntur ut genus et species; adeo ut *violentia* et *violentum* dicantur etiamsi agatur de vi illata rebus inanimatis, *coactio* autem et *coactum* non dicantur nisi agatur de agente animato:[1] hoc sensu v.g. motus lapidis dici potest *violentus*, non autem *coactus;* animalia vero, etiam irrationalia, dicuntur aut *violentiam* pati aut *coactionem.* Quoniam vero in hoc Tractatu agendum erit tantum de actibus hominum, eodem plane hic recidit uterque loquendi modus.

346. Ut quid sit *violentum* seu *coactum*, requiruntur tres conditiones. Requiritur 1° ut vis inferatur a principio *extrinseco;* neque enim *violentum*, sed *voluntarium*, aut saltem *spontaneum* (n. 41.), dicitur id quod provenit a principio intrinseco. Requiritur 2° ut is cui vis infertur *nihil conferat*, seu nullo modo consentiat in illud quod vi cogente fiat; nam, ut ait S. Thomas, "quum actio infertur ab aliquo exteriore, *manente*, in eo qui patitur, *voluntate patiendi*, non est simpliciter *violentum;* quia, licet ille qui patitur non conferat *agendo*, confert tamen *volendo pati*."[2] Praeter haec duo, quid insuper requiri ex eo patet, quod secus *violenta* dicenda esset v.g. justificatio infantium, ab extrinseco quidem collata eis, qui ad justificationem suam nihil conferunt: quae tamen, omnibus fatentibus, non ideo debet *violenta* dici.[3] Itaque

---

[1] Vid. v.g. Suarez, *Tract. de Voluntario*, Disp. 2. sect. i. n. 8.
[2] *Summa*, 1, 2. Quaest. 6. art. 5. ad 2.
[3] Vid. Alasia, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 1. cap. iii. art. i. n. 1.

3° requiritur ut ille cui vis infertur eidem *obsistat*,[1] si non *actualiter*, saltem *interpretative;* quae voces quum hic eodem sensu quo supra n. 46. sumantur, ideo *violentum* dici debet non solum quum quis invitus in carcerem trahitur, sed etiam quum quis dormiens occiditur.—Non desunt TT., ut v.g. Gury, qui 4am exigunt conditionem, nempe ut vis inferatur a causa *libera :* non tamen solent TT. hanc conditionem exigere, neque reipsa est cur exigatur ; nihil enim refert utrum vis proveniat a causa *libera*, an a causa, ut aiunt, *naturali*, quae necessario agat.

347. Si quis quaerat, ut adsit 3a conditio supra recensita, quatenus requiratur ut ille qui vim patiatur eidem *externe* seu viribus corporis resistat, respondendum est 1°, id requiri quoties vis ejusmodi est ut quis, ita resistendo, possit eam exsuperare ; nam si in iis rerum adjunctis resistere praetermittat, est signum voluntatis aliquatenus consentientis in ea quae sic fiunt ; res illustrari potest exemplis prioribus n. 344. allatis. Constat 2°, illud extra hunc casum non requiri *per se ;* neque enim voluntas censeri debet consentire eo ipso quod non imperet membris corporis resistere, quum id omnino frustra fieret. At vero 3° constat id aliquando requiri *per accidens*, (*a*) quantum necesse est ad avertendum periculum scandali, vel injuriam Religionis ; sic v.g. martyres, quum ad incensum idolis offerendum cogerentur, tenebantur eatenus resistere quatenus opus erat ad ostendendum se omnino invitos talia passos esse : atque insuper *per accidens* requiri potest (*b*) quantum necesse est ad praecavendum periculum voluntatis demum consentientis in ea quae, vi cogente, fiunt ; qua ratione inter ceteras innixi TT. statuunt feminam

---

[1] Alasia, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. I. cap. iii. art I. n. I.

vi oppressam teneri viribus etiam corporis quantum possit resistere.[1]

348. Ex dictis patet omnino distinguendum esse inter *vim* et *metum.* Nam 1° *vis* est impulsio ab extrinseco illata, neque in animum agit; *metus* vero est affectio animi exorta ex apprehensione mali sive per vim inferendi sive alio quovis modo eventuri : 2° *vis* non agit nisi quatenus reipsa praesens infertur; *metus* provenit ex apprehensione mali vel postea eventuri : 3° quae fiunt *vi* cogente sunt omnino involuntaria ; quae fiunt ex *metu*, sunt saepius, ut supra[2] vidimus, voluntaria : sic v.g. si quis, manu alterius totis viribus resistentis arrepta, illius nomen testamento subscribat, hoc fit per vim, atque scribenti omnino involuntarium est ; si quis vero alteri minetur mortem nisi testamentum conficiat, quo perterritus ille nomen subscribat, id fit per *metum*, atque, secundum principia supra tradita, *voluntarium* esse potest *simpliciter*, etsi *involuntarium* est *secundum quid*.[3]

349. **Divisio.**—*Violentia*, et ideo *violentum*, duplex distingui solet : *absolutum* seu *simpliciter* dictum, et *conditionatum* seu *secundum quid.* Quae quidem divisio, quum respiciat potius modum quo fiunt ea ad quae extorquenda vis infertur, quam vim ipsam in se spectatam, ideo convenit eam de *violento* potius quam de *violentia*, exponere.

350. Itaque violentum *absolutum*, seu *simpliciter* dictum, est id quod vi tantum extrinseca efficitur, voluntate nullo modo consentiente : ut v.g. in exemplis n. 344. allatis. Violentum *conditionatum*, seu *secundum quid*,

---

[1] Vid. v.g. S. Alph., Lib. 4. tract. 4. *De Praeceptis Decalogi*, nn. 368, 430. Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 1. art. vi., et aliis locis ibidem relatis.

[2] Vid. antea, nn. 326-336.

[3] Vid. Crolly, *De Justitia et Jure*, Vol. ii. n. 146.

dicitur illud ad quod efficiendum quis externa vi movetur, ita tamen ut, etsi aliquatenus restiterit, denique cedat: exemplum est in eo qui, etsi valde invitus, tamen, ne turpiter per civitatem a ministris justitiae trahatur, ipse in carcerem ambulat.

351. Hanc quidem divisionem, sive, ut mox exposita est, de *violento* intelligitur, sive de ipsa *vi* seu *violentia*, prout quis, alterutro modo recensito, omnimodo aut aliquatenus tantum resistat, merito animadvertit Alasia[1] minus accurate hic proferri; "quum violentia [et ideo violentum] *secundum quid* tanquam species non contineatur sub genere; qui enim resistit quidem, sed minus quam potest, hic aliquo modo vult ea quae fiunt; ergo ex D. Thoma jam [n. 346.] citato non patitur *violentiam*." —Ex dictis n. 348. satis patet hujusmodi actus *ex metu* fieri.[2]

352. **Principium I.**—*Voluntatis actus eliciti nullatenus possunt cogi.*

353. Namque vi verborum repugnat aliquid esse actum voluntatis, et simul esse coactum seu voluntati contrarium. Ideoque ait S. Thomas: "Contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus vel violentus."[3] Et S. Anselmus: "Invitus nemo potest velle, quia nemo potest nolens velle."[4]

354. Neque his adversantur ea quae leguntur Proverb., xxi. 1. "Cor regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud," quasi Deus, ut voluntatis dominus omnipotens, posset eam invitam movere ad agendum contra suam inclinationem. Nam respondet Alasia,[5] Deum quidem "fortiorem esse voluntate homi-

---

[1] *Tract. de Act. Humanis*, Diss. 1. cap. iii. art. i. n. 3.

[2] De eo quod ait Pirhing (Lib. 1 tit. 40. n. 1), "vis conditionalis reipsa *coincidit* cum metu," vid. antea, 348, 1°.

[3] *Summa*, 1. 2. Quaest. 6. art. 4.

[4] *De Libero Arbitrio*, Cap. 6.

[5] Ibid. n. 5.

nis, non posse tamen efficere repugnantia. Jamvero repugnat violentiam inferri voluntati quoad actus elicitos; alioquin simul vellet et nollet, ut ostensum est. Ergo potest Deus inclinare voluntatem quocunque vult, non coactione, quae repugnantiam includit, sed immutando eam, atque sic efficiendo ut jam velit quod nolebat antea."

355. **Principium II.**—*Cogi tamen possunt actus aliarum potentiarum quae voluntatis imperio subduntur.*

356. Quum enim actus ii non fiant ab ipsa voluntate, sed ab aliis facultatibus, non est cur perfici nequeant voluntate invita. Sic v.g. nihil obstat quominus manus aut pedes vi externa, voluntate omnino repugnante, moveantur. Vid. exempla n. 344. tradita.

357. Principia duo jam tradita solent theologi, post S. Thomam, sic enuntiare:[1] "Quantum ad actum qui est immediate ipsius voluntatis, [seu actum *elicitum*], violentia voluntati inferri non potest; sed quantum ad actum *imperatum*, voluntas potest pati violentiam." Seu brevius sic: "voluntatis actus *cliciti* non possunt cogi; cogi vero possunt actus *imperati*." Hic tamen cum Suaresio notandum est, quod quidem ex terminis satis patet, "doctrinam S Thomae, dicentis posse voluntatem cogi in actibus imperatis, non esse intelligendam *in sensu composito*, (ut sic dicam); quia non potest idem actus simul esse coactus, et imperatus a voluntate, quia hoc ipso quod imperatus est, voluntarius est . . . Intelligendum est ergo *in sensu diviso*; scilicet quod actus qui ex natura sua *aptus est imperari* a voluntate, potest fieri in homine absolute nolente, quod est fieri coacte."[2]—Item significatur ejusmodi actus posse vi *impediri* ne

---

[1] *Summa*, 1, 2. Quaest. 6. art. 5. ad. 1.
[2] *Tract. de Voluntario*, Disp. 2. sect. vi. n. 1.

fiant. Sic v.g. quantumvis quis velit manus aut pedes movere, vi tamen impediri potest quominus moveantur.

358. **Resolves.**—1° Actus externi qui ex violentia fiunt, voluntate omnino repugnante, adeo ut *simpliciter* violenti seu coacti sint, non sunt voluntarii aut liberi; et ideo non possunt esse peccaminosi aut demeritorii.[1]

2° Femina quae omnimodo resistit violentiae quae illi infertur contra virginitatem non peccat etiamsi vel stuprum invita patiatur. Hinc illud S. Augustini,[2] ubi loquitur de mulieribus Christianis quae, Roma a Gothis capta, vim perpessae fuerunt: "Quidquid alius de corpore, vel in corpore, fecerit, quod sine peccato proprio non valeat evitari, praeter culpam fit patientis."[3]

3° Actus qui fiunt voluntate aliquatenus reluctante, at tandem consentiente, adeo ut sint violenti tantum *secundum quid,* sunt plus vel minus voluntarii et liberi: et ideo si contra legem fiunt, erunt plus vel minus peccaminosi aut demeritorii, pro minore vel majore conatu quo quis violentiae resistat.[4]

4° Peccant graviter feminae vim patientes, si ob pusillanimitatem, aut vanum timorem, v.g. offendendi aggressorem, etc., non resistant quantum possunt, etiam secluso periculo consensus in sensualem delectationem; qui etiamsi non consentiant in delectationem illam tamen dum minus, quam par est, resistunt, censentur in sui violationem consentire et in crimine alterius co-operari.[5] An vero peccet mulier vi oppressa, si ob metum mortis clamare omittat, est quaestio in Tractatu *de Sexto Decalogi Praecepto* solvenda.[6]

---

[1] Vid. S. Alph., Lib. 2. *Tract. de Act. Humanis*, Art. 2. n. 17; Gury, Part. i. n. 20. Princip, II.
[2] Lib. 1, *De Civitate Dei*, cap. 16.
[3] Ita S. Alph., Art. 2. n. 17.
[4] Vid. S. Alph., ibid. n. 18; Gury, ibid.
[5] Ita Gury, Part. i. n. 21.
[6] Vid. v.g. S. Alph., Lib. 4. tract. 4. *De Praeceptis Decalogi*, n. 430.

CAPUT III.

De Moralitate Actuum Humanorum.

359. Hic duobus articulis agendum erit 1° de *essentia* moralitatis : 2° de ejusdem *fontibus.*

ARTICULUS I.

DE ESSENTIA MORALITATIS.

360. **Definitio.**—Nomine *moralitatis* actuum intelligitur illa qualitas qua (*a*) alii ex iis constituuntur laude digni, utpote honesti, v.g. Deum colere ; alii vero (*b*) digni vituperio, utpote inhonesti, v.g. blasphemare ; alii denique (*c*) nec laude digni nec vituperio, utpote quibus nihil aut honesti inest aut inhonesti, v.g. ambulare, loqui, manducare.

361. Theologi et philosophi in varias sententias et in quaestiones subtilissimas abeunt ad determinandam explicandamque moralitatis essentiam. Tres sunt sententiae praecipuae.

362. *Prima* est eorum qui actuum moralitatem ponunt in eorundem *libertate. Altera* huic affinis ponit moralitatem in actuum *voluntarietate. Tertia* denique eaque tenenda sententia docet moralitatem consistere in quadam, ut aiunt, *habitudine* seu *relatione actus ad regulam* quandam, adeo ut actus sint honesti, inhonesti, aut indifferentes, prout regulae huic conformes aut difformes sint.

363. Quam tertiam sententiam esse veram, sic plane ostendit Alasia[1]: quae enim ille, sententiam primam refellens, de actuum *libertate* disserit, possunt vix immutata intelligi de actuum *voluntarietate ;* iisdem igitur argumentis refelluntur sententiae duae priores.

---

[1] *Tr. de Act. Humanis,* Diss. I. cap. v. nn. 3, 4, 7.

364. "Constituimus," ait, "moralem humanorum actuum naturam . . non esse in sola libertate collocandam. Enimvero (*a*) actus concipitur liber, antequam sit moralis; nam liber est, qua oritur a libera voluntate; moralis vero, qua procedit congruens vel repugnans operandi regulae. Et sane fingamus nullam esse praestitutam regulam liberis hominum actionibus, quis eas rectas aut pravas dicere audeat? quis vel in laude ponat, vel culpae aut vitio vertat? Moralis igitur actionum humanarum natura sita non est in earum libertate, sed in eo duntaxat quod cum regula sua cohaerent vel ab ea deflectunt.

365. "Praeterea, (*b*) eadem manente libertate, potest multiplicari ac variari moralitas in eodem actu: ergo moralitas non consistit in libertate. Sic in actu adulterii, vel furti patrati ad moechandum, duplex est moralitas, nempe injustitia et luxuria,[1] et tamen una eademque est invariabilis libertas. Item variatur moralitas dum unus idemque actus evadit e bono malus, v.g. dum quis manducat carnes tempore permisso, eandemque comestionem protrahit usque in tempus prohibitum.

366. "Neque refert," ut idem rem prosequitur, sententiae prioris argumentum solvens, "sublata libertate, naturam quoque moralem actus e medio tolli; nam inde hoc tantum consequitur, libertatem esse *fundamentum* moralitatis, quo sublato consistere nequit moralis actuum natura, quum nequeant ad regulam sine libertate accommodari, quemadmodum sine voluntario constare nequit liberum."

367. Hactenus TT. fere omnes consentiunt; de quaestione vero, quaenam sit illa moralitatis regula, magna est dissensio.[2] Quo facilius intelligantur sententiae mox

---

[1] Vid. infra, n. 519.
[2] Vid. Solimani, *Instit. Ethicae*, Part. I. sect. ii. cap. 2.

exponendae, quaedam praemittenda sunt de moralitatis speciebus.

368. Quum, ex dictis, profluat moralitas actus ex ejus ordine seu relatione ad moralitatis regulam, quaecunque ea sit, ideo tres distinguendae sunt moralitatis species; etenim triplex distinguitur hujusmodi relatio. Nam fieri potest primo ut actus huic regulae *conveniat* aut *disconveniat:* atque duobus modis potest *convenire*, aut *positive* aut *negative; positive*, si ita conveniat ut regulae magis conforme sit agere quam actum omittere; ita v.g. convenit Missam audire: *negative*, si, etiamsi regulae conforme sit agere, haud minus tamen conforme est actum omittere; ejusmodi v.g. est ambulare.[1] Itaque tres constituuntur relationes: (*a*) *conformitas positiva*, (*b*) *conformitas negativa*, (*c*) *difformitas:* tres igitur distinguuntur moralitatis species, quae sunt (*a*) *honestas* seu *bonitas*, (*b*) *indifferentia*, (*c*) *inhonestas* seu *malitia*.[2]

369. His praemissis, videndum est in quonam sita sit haec morum regula. De quo duae praesertim recensendae sunt sententiae.

370. *Prior* est Vasquesii primariam moralitatis regulam ponentis in ipsa rationali natura, adeo ut malum seu inhonestum sit id omne quod naturae rationali disconveniat, id vero omne quod huic naturae conveniat honestum sit aut saltem indifferens.[3]

371. *Altera* est sententia omnium fere TT.,[4] qui S. Thomam[5] secuti, docent primariam moralitatis regulam esse legem aeternam Dei. Quae sententia

---

[1] Vid. Haunoldus, *Theologia Speculativa*, Lib. 2. tract. i. n. 370.

[2] De quaestione, quae, ut videtur, est fere de nomine, acerrime disputabant scholastici, num indifferentia recenseri debeat inter *species* moralitatis. De quo vid. Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. iv. art. 2.

[3] Vid. Vasquez, in 1. 2. Disp. 58. cap. 2; Disp. 95. cap. 9; Disp. 150. cap. 2.

[4] Vid. Ant. Mayr, *Theol. Scholastica*, Tract. 4. Disp. i. n. 175; Rassler, *Norma Recti*, Disp. 1. quaest. 1. n. 2.

[5] *Summa*, 1, 2, Quaest. 71. art. 6.

stabilitur praesertim ex eo quod regula moralitatis habere debet vim obligandi; eatenus enim quis peccat recedens a regula, quatenus aliquid facit aut omittit ad quod e contrario omittendum aut faciendum obligatur. Jamvero natura rationalis non habet vim obligandi seipsam; obligatio enim non potest provenire nisi a superiore, neque natura est superior sui ipsius. Dicendum igitur est primariam moralitatis regulam esse legem aeternam Dei; neque enim alia est regula creaturas universas obligans.[1] Unde ait S. Thomas,[2] "Augustinus in definitione peccati posuit duo: unum quod pertinet ad *substantiam actus* humani, quod est quasi *materiale* in peccato, quum dixit, '*dictum* vel *factum* vel *concupitum*'; aliud autem quod pertinet ad *rationem mali*, quod est quasi *formale* in peccato, quum dixit, '*contra legem aeternam.*'"—Atque alibi dixit S. Augustinus:[3] "Neque peccatum erit, si quid erit, si non *divinitus jubeatur* ut non sit."

372. Quum vero morales sint actus haud pauci qui nec praecipiuntur nec prohibentur, "juverit hic observasse, quum universe dicitur supremam regulam moralitatis esse legem aeternam Dei, sumendam hanc esse non strictissime, quatenus (*a*) solam legem *praecipientem* ac *prohibentem* complectitur; sed paullo latius, prout comprehendit (*b*) etiam legem mere *suasivam*, seu *consilium*, majusve Dei beneplacitum, de aliqua actione, citra tamen voluntatem illius ad hanc nos obligandi, et (*c*) mere *permissivam*, qua Deus objectum solummodo *non prohibet*, neque praecipiens, neque suadens, ut fiat: quamvis enim neutra harum sit lex proprie ac rigorose accepta, utraque tamen regulare potest actus aliquos morales; quum et ille qui divina sequitur *consilia*,

---

[1] Ita AA. jam citati.
[2] *Summa*, 1, 2, Quaest. 71. art. 6.
[3] *De Peccat. Merit. et Remiss.*, Lib 2. cap. 16.

operetur *bene* et *honeste;* et qui facit quod sibi a Deo mere *permissum* esse intelligit, actum ponat moralem, quamvis nec bonum moraliter, nec malum, sed *indifferentem.*"[1]

373. Antequam solvantur difficultates quae adversus doctrinam traditam urgeri solent, praemittenda sunt quaedam de duobus modis quibus actus potest esse moraliter bonus aut malus; (*a*) *intrinsece* seu *ab intrinseco;* et (*b*) *extrinsece* seu *ab extrinseco.*

374. Itaque (*a*) *intrinseca bonitas* aut *malitia* dicitur ea quae, quum ex ipsis rerum essentiis profluat, nullo modo pendet ex liberis actibus cujusquam legislatoris. Sic v.g. intrinsece mala sunt ea quae ita disconveniunt naturae creaturae rationalis, aut fini ad quem assequendum a Deo constituta sit, ut non possit Deus ea non prohibere; Deus enim, quum sibi contradicere nequeat, necessario vult ut creatura rationalis semper agat modo naturae conformi, et ideo se abstineat ab iis omnibus quae adversentur dignitati naturae, aut fini ad quem assequendum constituta sit. Quae sic necessario a Deo prohibentur, dicuntur prohiberi lege *aeterna* ac *naturali.*[2] E contrario quaedam sunt adeo conformia naturae rationali ut fieri non possit quin Deus ea approbet atque fieri velit: quae dicuntur *intrinsece* honesta seu bona. Sic v.g. intrinsece mala est blasphemia, aut odium Dei; intrinsece vero bonus est actus religionis, aut amoris divini.

375. Deinde (*b*) *extrinseca malitia* dicitur ea quae non provenit nisi ex actu libero legislatoris, sive Dei sive hominis. Sic v.g. in lege vetere malum erat, at tantum *extrinsece*, servilia opera die sabbati peragere; neque enim id inhonestum erat nisi quia a Deo prohibitum

---

[1] Rassler, *Norma Recti*, Disp. I. quaest. i. n. 20.
[2] De Lege Naturali, vid. infra, in Tract. *de Legibus*.

erat lege libere condita: atque in lege evangelica, eadem ratione *extrinsece* malum est v.g. SS. Eucharistiam in una tantum specie, sive panis sive vini, consecrare, aut carnes feriis sextis manducare; namque in his casibus res inhonesta non est nisi quatenus adversatur legi quae, sive a Deo sive ab Ecclesia, omnino *libere* condita est. Leges sic latae dicuntur *positivae*.—Non solent quidem TT. tam communiter loqui de *extrinseca honestate* seu *bonitate;* tamen satis commode potest hac locutione designari bonitas eorum quae ideo tantum sunt bona, quod, quum ex se sint omnino indifferentia,[1] legislator aut alius superior ea praeceperit aut saltem consilium dederit ut fierent: sic v.g. hac ratione moraliter bonum est, sed tantum *extrinsece*, servare silentium in ordine religionis praescriptum.

376. Quum igitur malitia eorum quae tantum *extrinsece* mala sint, omnino pendeat ex libera voluntate legislatoris ea prohibentis, plane sequitur legislatorem posse, si ita velit, legem suspendendo, abrogando, eidem derogando, aut in ea dispensando,[2] efficere ut ea quae sic tantum prohibita sint, omnino licita evadant. Eorum vero quae *intrinsece* mala sunt, malitia est immutabilis et inseparabilis, quae, quum ex ipsis rerum essentiis profluat, ne ab ipso quidem Deo potest tolli aut mutari.

377. His expositis, solvendae sunt difficultates quae urgeri solent adversus sententiam n. 371. expositam. Itaque

378. OBJICITUR 1° quod etiamsi nulla esset lex

---

[1] Sic v.g. Collet, de iis quae possunt esse materia, seu objectum, legis praecipientis, ait: "Haud necesse est ut legis materia sit *intrinsece honesta*, sed sufficit ut sit honesta *extrinsece*, id est, ut ad finem honestum, scilicet bonum commune, referri possit. Hinc lex humana non solum *virtutis*, v.g. temperantiae, actus imperare potest sed et multa praecipere quae de se sunt *indifferentia*." (*De Legibus*, Cap. 5. art. i. sect. 2.)

[2] De vocibus hic adhibitis vid. Tract. *de Legibus*.

divina, alia essent honesta seu moraliter bona, v.g. Deum colere, alia vero inhonesta seu moraliter mala, v.g. blasphemare. Unde in forma: Regula quae jam supponit aliqua esse moraliter bona, alia vero mala, non est prima regula moralitatis: atque talis est lex aeterna Dei: ergo, etc.

379. RESP. *Dist. Majorem.* Regula illa non est prima, quae jam supponit aliqua *formaliter* bona vel mala esse; *concedo:* quae tantum supponit aliqua talia esse *radicaliter* seu *exigitive; nego.* Et *contradist. min., nego consequentiam et conclusionem.*

380. Distinctio sic exponitur: "Cultus Dei non est in genere moris *formaliter* honestus antecedenter ad legem Dei, nec odium Dei *formaliter* inhonestum; quia haec *formalis* honestas vel inhonestas est conformitas vel difformitas cum lege Dei, ut probatum est. Habet tamen Dei cultus ex sua natura honestatem *radicalem* vel *fundamentalem*, odium vero similem inhonestatem: hoc est, ille *exigit* praecipi, istud vero prohiberi.

381. "Hanc *radicalem* [quam alii igitur *exigitivam* vocant] honestatem vel inhonestatem ait Haunoldus desumi[1] debere ex eo quod antecedenter ad omnes circumstantias particulares, cogitando nos ipsos quasi adhuc in statu possibilitatis existentes, judicaremus ex lumine naturae, rem *debere* ab auctore naturae praecipi vel prohiberi, tanquam cujus praeceptum vel prohibitio universaliter naturae rationali [expediret]; certe tunc, in concilium a Deo adducti, suaderemus cultum Dei, et dissuaderemus contumelias ejus . . . Quod autem etiam in ea hypothesi homines quoad aliqua inter se tamen discreparent, ex eo oriretur, quod non omnes statim agnoscerent honestatem moralem, sed daretur ignorantia invincibilis etiam juris naturae."[2]

---

[1] *Theologia Speculativa*, Lib. 2. tract. i. n. 350. Vid. supra, nn. 131-133. Ant. Mayr, *Theol. Scholast.*, Tract. 4. disp. i. nn. 179, 180.

382. OBJICITUR 2° ex axiomate communiter in scholis accepto : "Alia sunt *prohibita quia mala ;* alia vero *mala, quia prohibita :*" quod significare videtur quaedam, v.g. odium Dei, blasphemiam, furtum, etc., etc., suam malitiam seu inhonestatem ita habere ut non pendeat ex aliqua lege prohibente. Unde in forma : Si non omnia, saltem quaedam, sunt ideo prohibita quia jam mala erant. Ergo non in lege, ne in ipsa quidem aeterna lege Dei, reponenda est primaria regula moralitatis.

383. RESP. *Dist. ant.* Quaedam ideo prohibita sunt *legibus positivis*, quia jam mala erant ut prohibita lege aeterna ac naturali, *concedo :* quaedam ideo prohibita sunt *lege aeterna et naturali*, quia jam mala erant, *transeat*, vel *subdist. ;* quia jam mala erant *radicaliter* seu *exigitive*, *concedo ;* quia jam mala erant *formaliter*, *nego.* Et *nego consequentiam* et *consequens.*

384. Sic exponitur distinctio. Quum lex quam hic propugnamus ut primariam moralitatis regulam sit lex aeterna et naturalis, omnino concedere licet positivam legem non esse hujusmodi regulam, adeo quidem ut plurima sint mala quae ideo sint positivis legibus prohibita quia jam mala fuerint ut prohibita lege aeterna ac naturali. Et quidem S. Thomas,[1] argumentum solvens de quo hic agitur, sensu exposito axioma exponit. "Quum dicitur," ait, "quod non omne peccatum ideo est malum quia est prohibitum . . . intelligitur de prohibitione facta per jus positivam. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo in lege aeterna . . . tunc omne peccatum est malum quia prohibitum."[2]

385. Si quis tamen velit axioma ita proferre ut verum sit de quavis lege, sive positiva sive aeterna, necesse est, quod attinet ad legem aeternam, ut intelligatur de iis

---

[1] *Summa.* 1. 2. Quaest. 71. art. 6. ad 4.
Et vid. Ant. Mayr, *Theol. Scholastica*, Tract. 4. disp. i. nn. 179, 180.

quae hac lege prohibentur ut jam *radicaliter* seu *exigitive* mala, sensu n. 381. exposito.[1]

386. OBJICITUR 3° multa esse peccata quae non sint contra aeternam legem Dei; sicut v.g. comedere carnes feria sexta, omittere horas canonicas, etc., etc., quae sunt contra legem tantum Ecclesiae: ergo lex aeterna Dei non est moralitatis regula universalis.

387. RESP. *Neg. antecedens.* Nam "omnia quae fiunt *immediate* contra legem . . Ecclesiae, aut alterius superioris legitime obligantis, fiunt etiam [*mediate*] contra aeternam legem Dei, quatenus lex ista . . . necessario praecipit ut observentur leges omnes legitime latae;"[2] secundum doctrinam Apostoli (Rom. xiii. 1.): "Non est potestas nisi a Deo, . . . itaque qui resistit potestati, Deo resistit."

388. Hactenus locuti sumus de regula moralitatis *primaria*, quae etiam *remota* dici solet. At vero praeter illam, alia, quae *secundaria* et *propinqua* seu *proxima* dicitur, agnoscenda est. "Regula voluntatis humanae," ait S. Thomas,[3] "duplex est: una *propinqua*, scilicet ipsa *humana ratio*; alia vero est *prima* regula, scilicet *lex aeterna*, quae est quasi *ratio Dei*." Neque enim moralitas quae desumitur ex relatione actus ad *remotam* seu *primariam* regulam moralitatis agenti manifestari potest nisi per dictamen intellectus seu rationis: haec igitur, ut jam dictum est, appellatur moralitatis regula *propinqua* seu *secundaria*.[4]

---

[1] Vid. A. Mayr, ibid.; et Struggl, *Theol. Dogmatica*. Part. 1. tract. iv. disp. 4. quaest. 2. art. ii. n. 6. obj. 2°.

[2] Ant. Mayr, *Theol. Schol.*, Tract. 4. disp. 1.

[3] *Summa*, 1. 2. Quaest. 71. art. 6.

[4] Non defuerunt qui contenderent "dictamen illud rationis non esse *regulam* proprie dictam, sed tantum *applicationem regulae*, ferme sicut applicatio amussis et alterius regulae materialis proprie et in rigore non est regula. "Verum quia modus loquendi quo dictamen rationis . . *regula* appellatur, jam est receptus in scholis, non est cur ab eo recedamus, aut de nomine multum litigemus." Mondschein, *Theologia Dogmatica*, Tract. *De Act. Humanis*, n. 484.

389. Neque tamen ex hac regula *secundaria* pendet moralitas actionis in se spectatae, sed tantum ea quae agenti, sive in culpam, sive in laudem, tribuenda est. Quod ut intelligatur, recolendum est ex antea (n. 42.) dictis nihil posse agenti ut voluntarium tribui quod prius non sit ab intellectu cognitum : adeo ut si quis carnes feria sexta comedit minime suspicans diem esse abstinentiae, haec actio, etsi in suo esse *physico* spectata omnino voluntaria est, spectata tamen in suo esse *morali*, seu quatenus inhonesta est, omnino involuntaria sit. Et ideo non potest ejusmodi legis transgressio agenti in culpam tribui.

390. Duplex igitur distinguenda est actionum moralitas ; *objectiva* et *subjectiva*. Moralitas *objectiva* seu *materialis* ea est quae ita inest actioni *in se* spectatae, ut non pendeat ex modo quo actio ab agente apprehendatur ; sic v.g. carnes comedere, quum lege ecclesiae prohibetur, est actio saltem *materialiter* seu *objective* mala. Moralitas *subjectiva* seu *formalis*[1] ea est quae ita inest actioni ut pendeat ex modo quo actio ab agente apprehendatur : sic v.g. carnes die abstinentiae comedere, non solum *materialiter* seu *objective*, sed etiam *formaliter* seu *subjective*, malum est in eo qui, quum sciat diem esse abstinentiae, ideo apprehendit actionem ut lege prohibitam ; at vero *subjective* seu *formaliter* malum non est, sed bonum aut saltem indifferens, in eo qui diem esse abstinentiae nullo modo suspicatur.

391. Quoniam vero ne ipsa quidem *subjectiva* seu *formalis* moralitas potest esse nisi profluat a lege Dei aeterna, ideo duplicem ejusmodi legem distinguunt TT., *antecedentem* et *consequentem*. Lex *antecedens* ea est qua

---

[1] Vix opus est animadvertere voces *formalis* et *formaliter*, quum hic opponuntur vocibus *materialis* et *materialiter*, sumi sensu omnino diverso ab eo quo supra, n. 380, sermo erat de moralitate *formali* (seu proprie dicta), quae distinguitur a moralitate *exigitiva* seu *radicali*.

Deus aliquid approbat, prohibet, aut permittit, quasi *primario* et *per se*, id est, secluso agentis errore, ignorantia, dubio, aut alia indebita rei apprehensione. Lex vero *consequens* ea est quae actum respicit quasi *secundario*, et *per accidens*, id est, posito aliquo agentis errore, ignorantia, dubio, aut alia indebita rei apprehensione. Sic v.g. lege *antecedenti* prohibet Deus ne quis, Ecclesia id prohibente, carnes feria sexta comedat; lege autem *consequenti* id ipsum permittit iis qui minime advertant rem esse ab Ecclesia prohibitam.[1]

392. Neque tamen censendum est Deum sic legibus suis contradictoria statuisse: etenim actio sub ratione omnino diversa spectatur in duobus casibus. Sic statuit lex *antecedens*, "prohibeo mendacium ita ut in culpam imputetur iis omnibus mentientibus quibus haec prohibitio satis manifestata sit:" statuit vero lex *consequens*, "hoc mendacium Petri, qui malitiam ejus ne minime quidem suspicatur, ita permitto ut in culpam ei non imputetur."

393. At fortasse alicui videbitur, si haec vera sint, debere ideo dici illum, qui sic mentiatur, reipsa non peccare, ne *materialiter* quidem, quum reipsa non agat adversus ullam Dei legem, neque consequentem neque antecedentem. Respondemus exponendo quid significet "*materialiter* peccare." Itaque "qui aliquid *de se* prohibitum operatur ex hujusmodi ignorantia, dicitur peccare *materialiter*, in quantum ponit id quod est materia legis prohibentis et ideo obligantis illos qui sufficientem legis notitiam habent [ita ut, si adversus legem agant, id *in culpam* iis imputetur] . . . quaeque

---

Vid. Rassler, *Norma Recti*, Disp. 1. quaest. vii. n. 301; Mondschein, Tract. 2. n. 412; Mazzotta, Tract. 1. disp. i. quaest. ii. cap. 3; Lacroix, Lib. 1. *De Conscientia*, nn. 332, 338, 339.

etiam ipsum hic et nunc [eodem modo] obligaret, nisi per accidens eum ignorantia excusaret."[1]

394. **Quaesita.**—QUAER. 1°. *Quo modo debeat* volita *esse actionis malitia aut bonitas, ut possit agenti imputari?*

395. Antequam respondeatur, haec notanda sunt. Moralitas actus, sive agitur de *malitia* sive de *bonitate*, potest esse volita aut *directe* aut *indirecte*. Censetur *directe* volita, quando agens eam appetit expresso voluntatis actu : ut v.g. si quis temperantiam ideo excolat (*a*) quia trahitur ipsa honestate hujus virtutis, aut (*b*) quia vult, hanc virtutem exercendo, pro peccatis Deo satisfacere ; in priore casu, honestas temperantiae est *finis* agendi, in altero adhibetur ut *medium*[2] assequendi finem quae ad virtutem poenitentiae spectat. *Indirecte* autem volita censetur moralitas quum agens voluntarie perficit actum quem satis apprehendit moraliter bonum esse aut malum, ita tamen ut neque bonitatem ejus neque malitiam *directe* velit ; sic v.g. si quis temperantiam ideo excolat, non quia appetat hujus virtutis honestatem, sed quia vult sumptibus parcere. His praemissis,

396. RESP. ad *primam* quaestionis partem. Quod attinet ad *malitiam* actus, consentiunt omnes sufficere eam esse *indirecte* volitam. Malitiam enim operis profecto contrahit ille qui, postquam advertit ad legem prohibentem, tamen, praeceptum quasi negligens et flocci faciens, opus prohibitum perficit cum plena deliberatione. Quod quidem evenit, ut patet ex exemplis traditis, sive quis *directe*, sive tantum *indirecte*, vult actus inhonestatem.[3]

---

[1] Rassler, *Norma Recti*, Disp. i. n. 297. Cf. Struggl, *Theol. Universa*, Part. i. tract. iv. disp. 5. quaest. 1. art. 3. n. 8; Mondschein, Tract. ii. n. 421 ; Mazzotta, Tract. 1. disp. i. quaest. ii. cap. 3 ; Lacroix, Lib. 1. *De Conscientia*, nn. 29, 43.

[2] Vid. verba Lugonis antea, n. 160. citata.

[3] Ita Haunoldus, *Theologia Speculativa*, Lib. 2. tract. i. n. 363.

397. RESP. ad *secundam* partem. Quod attinet ad *bonitatem* actus, communis TT. sententia, contra quosdam, paucissimos quidem, negantes,[1] docet hanc non imputari nisi sit *directe* volita. Etenim "quando bonitas operis, etsi apprehensa, tamen non intenditur, *habet rationem boni neglecti:* sed bonitas neglecta, ut ex terminis clarum est, non reddit laudabilem actum negligentis: ergo, etc. Ideoque nemo ob castitatem laudatur si constet solius parsimoniae causa abstinuisse a fornicatione: neque laudatur ob misericordiam qui visitet aegrum praecise gratia confabulationis."[2]—Immo non desunt TT. qui insuper, sed omnino gratis, exigunt ut agens sibi proponat bonitatem, de qua sermo est, ut *finem* agendi.[3] De hac sententia quaedam infra (n. 494.) dicenda sunt, ex quibus clarius videbitur quomodo discrepet a sententia communi jam stabilita.

398. Neque communis haec sententia, ut animadvertit Billuart,[4] est eo sensu intelligenda quod necesse sit ut agens, v.g. eleemosynam daturus, velit actum *formaliter qua honestus est, seu regulis morum conformis;* omnino enim sufficit si velit eum *sub ea ratione ex qua* honestus est, seu regulis conformis, *qua nempe sublevat miseriam pauperis.*

399. Neque ex altera parte necesse est ut agens ita *explicite* seu *expresse* intendat actum sub ea ratione propria ex qua specificam suam bonitatem habeat; satis enim est si apprehendit eum v.g. ut opus virtutis, ut convenientem rectae rationi, ut conducentem ad beatitudinem

---

[1] Vid. Mastrius, Disp. 5. n. 193, ubi sententia communis propugnatur, atque recensentur adversarii.

[2] Haunoldus, *Theologia Speculativa*. Lib. 2. tract. i. n. 363. Vid. etiam Sporer, Tract. 1. cap. iii. sect. 2. n. 9.

[3] De his vid. Mastrius, Disp. 5. n. 195. et Arriaga, Disp. 15. sect. 5

[4] *Tract. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. iii. § 4. difficultas 2^{nda}; Suarez, *Tr. de Bonitate et Malitia Humanorum Actuum*, Disp. 4. sect. i. nn. 7, 8; Disp. 5. sect. ii nn. 4 et seq.; Struggl, *Theologia Dogmatica*, Part. 1. tract. iv. disp. 4. quaest. 2. art. iv. nn. 2 et seq.

supernaturalem, etc.[1] Sic igitur Coninck, ad objectionem, quod, si bonitas actus intendi deberet, rnstici vix unquam facerent actus bonos, quia vix unquam reflectunt super eorum honestate, respondet: "nego assumptum; quia quicunque sincera intentione actus aliquos virtutis exercent, communiter in iis amant ipsam honestatem; quod vel inde patet quia communiter existimant se aliquid agere dignum laude ac praemio, et gratiam apud Deum inire . . nec ad hoc opus est ut cognoscant *in quonam consistat* formalis ratio honestatis eorum."

400. Hic tamen notandum est duplicem posse honestatem actui inesse: alteram (*a*) quae proveniat ex intrinseca actus natura, alteram (*b*) quae proveniat ex circumstantiis extrinsecis. Sic v.g. praeter honestatem temperantiae, quae jejunio intrinseca est, honestas poenitentiae eidem actui convenit quum quis ideo jejunat ut satisfaciat pro peccatis. Jamvero ut patet, de priore, non autem de altera, ex his honestatis speciebus, intelligenda sunt ea quae n. 399. exposita sunt. Etenim ille qui actum intendit ut opus virtutis, ut convenientem rectae rationi, etc., eo ipso directe, etsi implicite tantum, intendit honestatem illam intrinsecam ob quam actus *ex sua natura* est opus virtutis, rationi rectae convenit, etc.; non autem intendit, ne implicite quidem, honestatem aliquam *extrinsecam*, qualis in exemplo allato est honestas poenitentiae, quae plane non intenditur, nisi agens expresse eam velit.[3]

401. QUAER. 2°. *An actus externus augeat bonitatem vel malitiam actus interni?*

402. Antequam respondeatur, praemittenda sunt quaedam ut genuinus exhibeatur quaestionis sensus.

---

[1] Vid. v.g. Bouquillon, *Instit. Theol. Moral. Fundamentalis*, Lib. 4. n. 390.

[2] *De Act. Supernat.*, Disp. 3. dub. iv. n. 60, (apud Bouquillon, loc. jam cit.)

[3] Vid. Jaugey, *Theol. Moral. Lingonensis*, Sect. 5. cap. i. n. 389.

403. Itaque 1°, quod attinet ad actum internum, notandum est quaestionem non esse nisi de actu *efficaci*, quo hic significatur actus qui vel prodit in actum externum, vel ideo tantum non prodit quia obstat impedimentum quod nullo modo subjaceat voluntati agentis ; v.g., ut rem illustrat De Lugo,[1] si quis credens se posse facere actionem externam, reipsa vult eam facere, adeo ut habeat ultimam voluntatem quae requiratur ad opus exsequendum, et tamen, quia ab aliquo tenetur, vel quia morbo, v.g. paralysi, subito corripitur, sic impeditus non perficit actionem externam.

404. Deinde 2° quaestio respicit tantum *actus moralitatem ;* satis enim constat, in iis etiam quae spectant ad hominis justificationem, plures esse effectus qui ex actu externo ita profluant ut omnino nequeant ex ejusdem desiderio seu voluntate quantumvis efficaci haberi. Ejusmodi v.g. est indulgentia quam quis lucratur perficiendo opera quibus annexa est ; remissio peccatorum quam consequitur poenitens qui attritus et alioquin satis dispositus sacramentum poenitentiae suscipit ; sacramentalis gratia quae in singulis sacramentis accipitur ; integra peccatorum remissio et gloriae corona, quam aureolam[2] vocant, quae conceduntur iis qui pro Christi

---

[1] *Tract. de Sacr. Poenitentiae,* Disp. 16. sect. ix. n. 456.

[2] De his omnibus videantur Tractatus *de Sacramentis*, et *de Indulgentiis.*

"*Aureola* idem sonat ac *corona aurea minor :* dicitur *corona*, quia datur in praemium victoriae ; *aurea*, ob ejus pretium ; *minor*, respectu coronae magnae. i.e. essentialis beatitudinis et gloriae. Si rem ipsam spectemus, aureola est gaudium accidentale a Beatis de singulari quadam victoria perceptum, quod etiam in corpus post resurrectionem speciali fulgore redundabit.

"Aureola est triplex, Martyrum, Virginum, et Doctorum. Martyres enim vincunt mundum contemptu mortis ; Virgines carnem, cujus illecebris resistunt ; Doctores aliique verbi Dei ministri atque interpretes vincunt diabolum, quum e cordibus hominum illum expellunt ; ideoque quum 'ad justitiam erudiant multos, quasi stellae fulgebunt in perpetuas aeternitates.'" Schouppe, *Elementa Theologiae Dogmaticae*, Tract. 19. *De Novissimis*, Cap. i. n. 98.

De aureolis vid. etiam S. Thomas, In. 4. d. 49. q. 5 ; Suarez, *Tract. de Ultimo Fine Hominis*, Disp. xi. sect. 3. (Ed. Vives, Tom. iv. p. 132) ; Struggl, *Theologia Dogmatica*, Part. i. tract. 4. disp. i. quaest. 3. art. v. n. 6 ; Lessius, *De Summo Bono*, Lib. ii. cap. 21.

fide martyres occumbunt,[1] etc., etc. Tantum enim abest ut ad haec obtinenda sufficiat internus voluntatis actus, seu desiderium quantumvis efficax injuncti operis perficiendi, sacramenti suscipiendi, martyrii subeundi, etc., etc., ut contra ne externus quidem actus sufficiat si desit vel una ex conditionibus quae ex institutione Christi Domini aut Ecclesiae ad hos effectus producendos exigantur: quod quidem verum est etiamsi defectus sit occultus, adeo ut agens omnino, et quidem invincibiliter, ignoret actum esse invalidum.

405. Neque 3° est quaestio an actus externus moraliter bonus aut malus superaddat interno actui bonitatem aut malitiam quandam *materialem;* neque enim quisquam negat externos actus, v.g. largiendi eleemosynam aut hominem occidendi, esse suo modo conformes aut difformes regulis morum, et ideo moralitatem habere saltem *materialem* seu *objectivam.* Quaestio igitur est de augmento bonitatis aut malitiae *formalis* seu *subjectivae.*[2]

406. Denique 4° praemittendum est quaestionem esse an externus actus *per se* addat bonitatem aut malitiam actui interno; nam dubium non est quin possit, et quidem soleat, bonitatem aut malitiam augere saltem *per accidens:* quod quidem tribus modis fieri potest "scilicet, ratione (*a*) majoris *intensitatis*, (*b*) majoris *durationis*, et (*c*) *repetitionis* seu *multiplicationis* actus interni; quarum omnium occasio saepe est actus externus.

407. "Etenim (*a*) voluntas in ipso exercitio actus externi magis accenditur, ferturque in objectum cum majore

---

[1] De martyrii efficacia ad peccata remittenda vid. Suarez, *De Baptismo*, Disp. 29. (Ed. Vives, Tom. xx.); Lessius, *De Justitia et Jure*, Lib. 3, *De Fortitudine*, Cap. i. dub. 2-5; Struggl, *Theologia Moralis*, Tract. 9. quaest. ii. nn. 6. et seq.; Lacroix, Lib. 6. *De Sacramentis*, n. 288; Schouppe, *Elementa Theol. Dogmaticae*, Tract. 18, *De Virtutibus*, Cap. iii. nn. 399-402.

[2] Vid. antea, n. 390.

intensione et vehementia, idque propter delectationem vel difficultatem quae in actu externo reperitur ; quanto autem moralis actus voluntatis est intensior et vehementior, tanto est melior vel pejor. Insuper (*b*) qui vult facere aliquod opus et reipsa facit, continuat actum voluntatis quousque opus perfecerit, ideoque diutius quam alius qui simul resolvisset facere idem opus et propter aliquod impedimentum non fecisset ; quo autem actus voluntatis est diuturnior, eo est melior vel pejor. Atque (*c*) saepe contingit ut homo occasione actus externi repetat seu renovet actum internum, quem toties non renovasset si actum externum non fecisset.

408. "Hinc est quod regulariter ille plus boni faciat plusque mereatur, aut gravius peccet et plus demereatur, qui reipsa faciat actum externum, quam qui tantum habet voluntatem efficacem faciendi. Sed illud augmentum bonitatis vel malitiae, meriti vel demeriti, non provenit ex aliquo quod est in ipso actu externo, verum ex aliquo alio quod ejus occasione supervenit, scilicet ex majore intensione vel duratione actus interni aut ex ejusdem repetitione et multiplicatione."[1]

409. Quae quidem exemplo sic praeclare illustrat Arriaga :[2]—"Facile est in absentia dicere, 'Ego libenter tolerabo pro Christo martyrium, ignem, rotas, verbera, glaciem, etc.' ; at quum venitur ad rem ipsam, et vehemens calor urit, aut frigus torquet, aut discerpuntur membra, alia sane apparent ea tormenta quam primo fuerant repraesentata ; ideoque constat intensiorem, fortiorem, et consequenter longe magis meritoriam, requiri voluntatem ad ea tormenta aequanimiter perferenda, quam fuerit sufficiens in choro aut in cella coram crucifixo ad priorem volitionem seu propositum. Hoc ex terminis videtur notum, et hoc capite non est dubium

---

[1] Perin, *Tr. de Act. Humanis*, Quaest. 4. art. iv. § 2.
[2] *In* 1. 2. *S. Thomae, Tr. de Act. Humanis*, Disp. 16. sect. iv. n. 24.

quin executio ipsa rei honestae valde conducat ad meritum augendum."

410. His igitur expositis, in quibus omnes consentiunt, quaestio ponitur an actui interno etiam *efficaci* externus actus *per se* superaddat bonitatem aut malitiam *formalem* seu *subjectivam?*

411. RESP. *Negative.* Ita, contra plerosque saltem Scotistas,[1] docent Thomistae,[2] quibus hic accedit consensus fere unanimis TT. aliarum scholarum.[3]

412. Sententiae hujus argumentum praecipuum sic potest in forma proferri:—Externus actus nullam ex se habet bonitatem neque malitiam formalem. Ergo nullam potest actui interno tribuere. *Consequentia* satis constat ex axiomate: Nemo dat quod non habet. *Antecedens* probatur ex eo quod ad moralitatem, sive bonitatem sive malitiam, formalem omnino requiritur libertas: jamvero actus externus ex se non habet libertatem, quippe quae interno tantum voluntatis actui inesse possit: v.g. externus actus eleemosynam largiendi voluntarius non est, neque liber, nisi tantum *denominative*[4]; neque enim voluntarius nec liber dicitur nisi quatenus provenit ab interno actu voluntatis libere imperantis eum fieri.[5]

413. Argumentum illustratur simul et confirmatur ex exemplo effectuum qui, sive *in se* sive *in causa* voluntarii, ex actibus voluntatis profluunt, ut v.g. quum quis, glande plumbea ex sclopeto ideo emissa, hominem occidit; aut quum Missam die festo omittit ebrius qui se inebrians

---

[1] Vid. v.g. Mastrius, *In Lib.* 2. *Sententiarum*, Disp. 5. *De Actibus Humanis*, Quaest. 5ª; Sporer, Tract. 1. cap. iii. n. 34; Henno, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 3. quaest. 8va.

[2] Vid. v.g. Gonet, Tract. *De Moralitate Act. Humanorum*, Disp. 7ª; Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. iv. art. 8.

[3] Ut ceteros praeteream, vid. v.g. e TT. societatis Jesu: Suarez, *Tr. de Bonitate et Malitia Actuum Humanorum*, Disp. 10. sect. 2; *Tr. de Gratia*, Lib. 12. cap. 6. n. 6. (Ed. Vives Tom. 10. pag. 30); De Lugo, *De Sacramento Poenitentiae*, Disp. 16. sect. ix. n. 447.

[4] Vid. supra, n. 192, 5°.

[5] De hoc argumento vid. Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. iv. art. 8.

praevidit periculum omissionis secuturae. Sicut enim in ejusmodi casibus formalis seu subjectiva actionis moralitas ea sola est quae inest actui voluntatis in hos effectus objective inhonestos consentientis, adeo quidem ut nihil omnino referat ad actus moralitatem, utrum effectus reipsa eveniant an non;[1] eodem modo dicendum est eandem esse formalem seu subjectivam moralitatem interni voluntatis actus sensu n. 403. exposito efficacis, sive actus reipsa prodeat in opus externum, sive ob impedimentum quod agentis potestati nullo modo subjaceat internus maneat.[2]

414. Et solent Thomistae testimonia SS. Patrum citare. Sic v.g. ait S. Augustinus:[3]—"Si cui non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, et si potestas detur, id facturum esse, non minus reus est quam si in ipso facto deprehenderetur." Atque S. Bernardus:[4]—"Quid planius quam quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas."

415. Neque desunt Scripturarum textus qui Thomistis saltem favere videntur. Sic v.g. Gen. xxii. 16. de Abraham dicitur: "Quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito, propter me, benedicam tibi," etc., quibus verbis Deus declarat se efficacem, quam Abraham habuit, voluntatem sacrificandi Isaac, pro facto habere, eodem nempe modo eum alloquens atque eandem promittens mercedem ac si filium reipsa immolaverit. Sic quoque Christus Dominus, Matt. v. 28., voluntatem moechandi ipso nomine moechiae designat:—"Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo."

416. Sententia communiore sic stabilita, restat ut

---

[1] Vid. antea, n. 192, Resolves 3°, 5°.
[2] De hoc argumento vid. Perin, *Tr. de Act. Humanis*, Quaest. 4. act. iv. § 4.
[3] Lib. 1. *De Libero Arbitrio*, Cap. 3.
[4] Epist. 67. cap. 2.

quam brevissime exhibeantur argumenta quibus contra innituntur Scotistae, atque praecipua saltem capita eorum quae ad ea refellenda proferri solent.

417. Itaque 1° argumentantur Scotistae ex eo quod actus externi et interni diversis praeceptis Decalogi prohibentur: sic septimo praecepto prohibetur furtum, atque decimo praecepto furti desiderium. Similiter sexto praecepto prohibetur externus actus impudicitiae, cujus rei desiderium seu voluntas prohibetur praecepto nono.

418. His tamen ex altera parte respondetur actum internum et externum "prohiberi diversis praeceptis, non quia habent diversam malitiam . . verum ut populus rudis, qualis erat Israeliticus, intelligeret non tantum actum externum, sed etiam desiderium rei illicitae, etsi ab actu externo separatum, esse malum : alias opus non erat istos actus diversis praeceptis expresse prohibere ; quia dum actus externus prohibetur [quod fit in aliis praeceptis, v.g. in primo, quo prohibetur idololatria ; et in quinto, quo prohibetur homicidium], implicite prohibetur actus internus ; nam si actus externus sit malus et prohibitus, internus actus, qui circa illum versatur, etiam malus est, quum versetur circa objectum malum : unde in aliis praeceptis solus actus externus expresse prohibetur, internus vero tantum implicite . . . Ratio autem quare Deus speciali praecepto prohibuerit voluntatem adulterandi et furandi, potius quam voluntatem v.g. occidendi, est quod copula carnalis et bona fortunae sunt res quae solent ab hominibus maxime concupisci, eo quod sint valde allectivae, copula carnalis quidem propter sensualem delectationem, et bona fortunae propter eorum utilitatem, quod non habet locum in iis quae per alia praecepta prohibentur."[1]

419. Ad quam expositionem confirmandam abs re non erit animadvertere opinionem qua statueretur concupi-

[1] Perin, *Tr. de Act. Humanis*, Quaest. 4. art. iv. § 3. obj. 1°.

scentiam seu desiderium ejusmodi rerum ex se nihil mali habere, reipsa, quamvis duobus his Decalogi praeceptis plane contrarium, apud Judaeos tempore Christi Domini percrebuisse: quod satis patet ex verbis n. 415. citatis, quibus error iste reprobatur.

420. Argumentantur Scotistae 2°:— Si vera esset sententia Thomistarum, is qui haberet voluntatem efficacem occidendi mille homines, aeque graviter peccaret ac si eos revera occideret; atque is qui haberet voluntatem efficacem alendi mille pauperes aeque mereretur ac si de facto eos aleret: quae tamen affirmare omnino absonum est.

421. Quae huic argumento responderi solent sic tradit auctor jam citatus:—" Respondeo . . . admittendo talem aeque graviter peccaturum dummodo habeat voluntatem vere efficacem, seu ex qua revera sequeretur occisio mille hominum si nullum esset impedimentum. . . Idem est de voluntate alendi mille pauperes . . .

422. " Sed notandum est ejusmodi voluntates saepe esse inefficaces, licet ut efficaces apprehendantur; quod provenit ex eo quod nostrae voluntatis affectus non sit nobismetipsis satis cognitus, et revera saepissime deprehendimus, adveniente tentatione, debilem parumque efficacem esse voluntatem nostram, quam tamen antea credideramus efficacissimam: idque accidit S. Petro, qui putabat se efficaciter velle Christum sequi etiamsi cum illo mori debuisset, quod volebat quidem, sed non adhuc tam efficaciter quam putabat, quando quidem tam cito et tam facile postea lapsus sit."[1]

423. Accedit alia responsio; satis enim ex antea dictis[2] constat malitiam aut bonitatem interni actus, si non *per se*, saltem *per accidens*, tribus modis supra expositis, augeri ex eo quod actus externus perficiatur.

---

[1] Perin, Quaest. 4. art. iv. § 3, obj. 1°.
[2] Vid. supra, nn. 406-409.

424. Denique 3° Scotistae argumentantur ex obligatione peccati externi confitendi :—Si actus externus non aliam adderet formalem malitiam praeter eam quae interno actui ex se inest, non esset obligatio confitendi peccati externi, sed praecepto confitendi satisfaceret v.g. fur, dicendo "efficaciter volui furari." Atqui ex unanimi TT. consensu omnino constat praecepto non sic satisfieri. Ergo etc., etc.[1]

425. Hoc tamen argumentum, cui multum confidunt Scotistae, pluribus modis diluitur. Et 1° solent TT. recensere *rationes extrinsecas* propter quas actus externus confitendus est, etsi non habeat formalem malitiam a malitia interni actus distinctam : sic v.g. fieri potest ut actui externo annexa sit reservatio, excommunicatio aut alia censura, impedimentum matrimonii, obligatio restitutionis, aut aliud hujusmodi quod non annectatur actui interno ; necesse igitur est externum actum confiteri, ut possit confessarius dignoscere num aliquid horum adsit, quod nisi cognoscat, officio doctoris et medici spiritualis fungi omnino non potest.[2]

426. Insuper 2° respondere solent, quod satis quidem ex antea dictis patet, vix posse fieri quin saltem *per accidens*, tribus modis expositis[3], augeatur malitia actus, adeo ut satis exponi non possit nisi etiam declaretur rem externe peractam esse. Vis hujus responsionis, praesertim quod attinet ad peccatorum numerum, perspicietur plenius ex iis quae in Tractatu *de Peccatis* exponentur de numerica distinctione peccatorum internorum.[4]

---

[1] Vid. v.g. Mastrius, *In Lib.* 2. *Sententiarum*, Disp. 5, *De Act. Humanis*, Quaest. 5. art. i. n. 264.

[2] Vid. Suarez, *Tract. de Bonitate et Malitia Actuum Humanorum*, Disp. 10. sect. i. n. 9 ; Roncaglia, *Tr. de Actibus Humanis*, Quaest. 3. cap. ii. resp. 1.

[3] Vid. supra, nn. 406-409.

[4] Vid. De Lugo, *De Sacramento Poenitentiae*, Disp. 16. sect. xiv. nn. 541 et seq. ; S. Alphonsus, Lib. 2. *Tract. de Peccatis*, n. 40; Gury, Part. . n. 162.

427. Denique 3° respondent sufficientem obligationis rationem inveniri in Christi voluntate. Neque enim dubium est quin externus actus, quatenus lege prohibeatur, objective inhonestus sit, atque saltem *denominative*[1] sit formale peccatum;[2] quapropter S. Augustinus[3] peccatum definit esse "*dictum, factum*, vel concupitum contra legem aeternam." Jamvero, ut ex Conciliis et ex usu Ecclesiae constat, Christus praecepit ut in confessione exponerentur peccata gravia omnia, sive interna sive externa: "cujus voluntas," ait A. Mayr, exponens hanc responsionem, "nobis esse debet pro omni ratione."

428. At quis fortasse ulterius quaerat rationem praecepti hujus a Christo impositi, cur nempe non satis fuisset praecipere ut poenitens confiteretur malitiam subjectivam seu formalem, adeo ut, saltem si constaret abesse ea omnia quae n. 425. recensita sunt, praecepto satisfacerent ii qui, quum externe peccassent, confiterentur tantum peccandi voluntatem vere efficacem? Respondere licet validissimam praecepti rationem inveniri in iis quae loco citato recensita sunt. Etsi enim ea ejusmodi non sint quae, si Christus non imposuisset praeceptum universale, ex se efficerent ut semper et in quovis casu necesse esset peccatum externum confiteri, tamen ejusmodi plane sunt ut, quum Christus voluerit peccata exponi quatenus rationes eae reipsa exigerent, debuerit imponere praeceptum omnino universale peccata externa confitendi. Nam lex confessionis tam difficilis utique est ut si poenitentibus dijudicandum relinqueretur an tenerentur peccatum externum confiteri, tot tantaque effugia sibi fingerent, ut saepissime

---

[1] Vid. antea, n. 192, Resolves 5°.

[2] Vid. Suarez, *Tract. de Bonitate et Malitia Actuum Humanorum*, Disp. 10. sect. i. n. 9; Arriaga. In 1. 2. S. Thomae, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 16. sect. iv. n. 38.

[3] Lib. 22. *contra Faustum*, Cap. 27.

[4] Tract. 4. disp. i. quaest. 2. art. ix. n. 168.

praetermitterent confessionem peccatorum quae tamen ut confiterentur omnino exigerent sive (*a*) rationes *extrinsecae* n. 425. recensitae, sive (*b*) *intrinseca* obligatio confitendi formalem ipsam peccatorum malitiam, qualis saltem *per accidens*, modo n. 426. exposito, constitueretur.

429. Verum haec satis superque dicta sunt de controversia quae, ut ex hactenus expositis[1] constat, ad usum minime spectat.

ARTICULUS II.

DE FONTIBUS MORALITATIS.

430. **Definitio.**—Moralitatis *fontes* hic appellantur ea humanarum actionum elementa, quae, prout regulis morum conformia aut difformia sunt, efficiunt ut ipsae actiones sint his regulis conformes aut difformes.

431. Tres fontes moralitatis recensentur: qui sunt 1° *objectum* actus; 2° *circumstantiae* ejusdem; 3° *finis* agentis. Etenim ad haec tria capita revocantur ea omnia in quibus actus potest regulis morum convenire aut disconvenire.

432. Quae ut inter se distinguantur, haec praemittenda sunt. Quum homo, in omnibus actibus deliberatis, ob finem agat, ideo possunt in actibus humanis distingui haec duo; (*a*) voluntas *finis* assequendi, et (*b*) voluntas aliquid adhibendi ut *medium* quo finis attingatur. Sic v.g. si quis pauperi largitur eleemosynam, sive ad sublevandam illius miseriam, sive ad vanam sibi gloriam captandam, vult (*a*) assequi *finem*, sublevationem pauperis, aut vanam gloriam; vult (*b*) adhibere *medium*, eleemosynam nempe pauperi tribuendam, ut sic finis ille attingatur.

---

[1] Vid. praesertim nn. 406-409, 425, 427.

433. Neque tamen censendum est alium necessario esse actum quo proponatur finis attingendus, alium quo statuatur medium eligendum; nihil enim obstat quominus haec duo efficiantur per unum eundemque voluntatis actum, quo statuatur finem assequendum esse ope medii cujusdam adhibiti, seu, quod eodem recidit, adhibendum esse hoc medium ad finem illum assequendum. Voluntatis actus quatenus respicit *finem* assequendum dicitur *intentio;* quatenus respicit *medium* adhibendum, dicitur *electio.*[1]

434. Jamvero, etsi id omne in quod voluntas sic consentit, est verum illius *objectum*, tamen solent TT. nomen *objecti* sensu quodam strictiore hic adhibere, distinguentes inter *objectum* et *finem*, adeo ut nomine *objecti* designent actum quatenus respicit *medium* adhibitum ad finem assequendum.

435. Neque vero *objectum* dicunt id omne quod sic efficitur; adhuc enim distinguentes inter *substantiam* et *circumstantias* actus sic spectati, nomine *objecti* intelligunt solum actus *substantiam.* Porro ad *substantiam* actus pertinent ea omnia quae sunt ei essentialia, ita ut si vel unum ex iis desit, *actus* censeatur esse *diversus; circumstantiae* vero sunt ea adjuncta quae etiamsi absint, tamen non censebitur actus esse diversus, censebitur vero *idem actus* fieri *diverso modo.* Ideoque ad dignoscendum num aliquid pertineat ad actus substantiam regula est, ea omnia ad substantiam pertinere quae si desint actus *diverso nomine* appelletur. Sic v.g. substantia furti consistit in eo quod res aliena aufertur, domino rationabiliter invito; neque enim *furtum* dicitur actio nisi quatuor haec complectitur: (*a*) *auferri* rem, (*b*) rem *alienam*, (*c*) eam auferri *domino invito*, et quidem (*d*) invito *rationabiliter:* haec vero si adsunt, actio,

[1] Vid. supra, n. 148.

quaecumque sunt alia adjuncta, furtum appellatur. Et ideo *circumstantiae* furti appellantur omnia ea adjuncta, v.g. loci, temporis, valoris rei ablatae, etc., etc., quae quantumvis mutantur, actus non ideo desinit furtum appellari.

436. Ex dictis patet fieri posse ut ea quae sint tantum *circumstantiae* actus sub una ratione spectati pertineant ad ejus *substantiam* si alio modo inspiciatur. Sic v.g. ad substantiam *furti* nihil refert utrum sacra an profana sit res ablata. Quoniam vero speciali nomine *sacrilegii* appellari solet furtum rei sacrae, ideo rem *sacram* auferri, quod tantum est *furti circumstantia*, pertinet ad *substantiam sacrilegii.*

437. Hoc modo saepe fit ut ea quae sint tantum circumstantiae actionis *physice* spectatae pertineat ad ejus substantiam si inspiciatur ut actus *moralis*, seu quatenus est actus virtutis aut vitii. Sic v.g. si quis carnes manducat feria sexta, circumstantia *temporis* non pertinet ad substantiam actionis *manducandi carnes*, tamen pertinet ad substantiam actionis *transgrediendi praeceptum abstinentiae ;* idipsum illustrat circumstantia *quantitatis*, quae, quum quis se inebriat, efficit ut actus *bibendi* sit actus *intemperantiae;* circumstantia *rem sacram* emendi aut vendendi, quae efficit ut actus *emendi* aut *vendendi* sit actus *simoniae ;* circumstantia *loci sacri adeundi*, quae efficere potest ut actus *itineris faciendi* sit pia, quam vocant, *peregrinatio ;* et alia hujusmodi.

438. Circumstantia actus physice spectati quae sic pertinet ad ejus substantiam quum spectatur ut honestus aut inhonestus, a TT. dici solet *ingredi rationem objecti moralis.*[1]

439. Quanquam saepius uno eodemque voluntatis actu comprehenduntur ea de quibus hic loquimur,

---

[1] Vid. v.g. Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 4. art. iii. sect. 2.

intentio nempe finis, atque medii *electio*, sive haec inspicitur quoad *substantiam* actus sive quoad *circumstantias*, tamen expedit ut seorsim inspiciantur, quo clarius dignoscatur quatenus unumquodque ex iis moralitatem totius actus afficiat.

§ 1. *De Objecto.*

440. **Definitio.**—*Objectum* in genere est *id quod voluntati objicitur.* Hic potest esse sermo de objecto *proximo* aut *remoto.*

441. Objectum *proximum* est *ipse actus* quem voluntas aut elicit aut imperat : si (*a*) latius sumitur, comprehendit, ut supra (n. 434.) expositum est, totum actum voluntarium ; hic vero, (*b*) ut antea[1] dictum est, strictiore sensu sumitur ad significandam tantum actus *substantiam*, v.g. dare eleemosynam, furari, etc., etc., circumstantiis quibusvis atque fine agentis sepositis.

442. Objectum *remotum* est *illud circa quod objectum proximum versatur ;* v.g. pecunia, quae pauperi datur, est remotum objectum largitionis eleemosynae ; res aliena, quae a fure aufertur, est remotum objectum furti.

443. **Divisio.**—*Objectum* proximum, de quo solum hic agendum est, est *bonum*, *malum*, vel *indifferens*, prout (n. 368.) conforme vel difforme est regulis morum.

444. Deinde bonum aut malum potest esse vel *intrinsece* vel *extrinsece*, secundum sensum horum verborum supra[2] expositum.

445. Objecta *intrinsece mala* aliquando dicuntur esse duplicis generis :[3] prout (*a*) ejusmodi sunt quae recto

---

[1] Vid. n. 435.

[2] Vid. supra, nn. 373–376.

[3] Vid. v.g. Gury (Part. i. n. 26.) qui tria genera distinguit : illa autem tria ad duo plane revocantur si omittantur ea quae tradit de dominativa potestate Dei et hominis, quae quidem exponere hujus non est loci. Vid. infra dicenda in Tract. *de Legibus*, in cap. De Lege Naturali.

ordini absolute repugnent, adeo ut nunquam possint licite fieri; ut v.g. blasphemia, odium Dei, etc., etc.; aut ejusmodi (*b*) quae aliquando, pro diversis rei adjunctis, recto ordini non repugnent, adeo ut sic licita evadant; ejusmodi v.g. sunt ablatio rei alienae, laesio corporis vel famae alterius, homicidium, aspectus objecti turpis, lectio pravi libri, etc., etc.

446. Hic tamen abs re non erit animadvertere illum loquendi modum, satis quidem communiter adhibitum, ex eo ortum habuisse quod "multum," ut ait auctor quidam recentior,[1] "abest quin in hominum sermone eadem sit perspicuitas qua Deus unico intuitu omnia distincte conspicit." Quod ut clarius exponatur, haec, quae sequuntur, ex eodem exscribere liceat.

447. "Inter actiones quarum malitiam lex naturalis et aeterna immutabiliter decernit, sunt quaedam quae, ut malae sint, paucas conditiones exigunt: sunt aliae quarum malitia pendet a multis pluribusque circumstantiis. Sic *odium Dei* est actio simplicissima, cujus totam naturam malam uno prospectu mentis concipere et quatuor syllabis exprimere possumus. *Illicitum* vero *homicidium* est actio complexa valde, cujus malitia plura requirit: ut occidatur homo, ut occidatur privata auctoritate, ut occidatur per modum aggressionis, non per modum justae defensionis . . .

448. "Porro lex naturalis et aeterna, prout est in se et in mente divina, non pronunciat malitiam hujusmodi actionum, nisi comprehensis omnibus conditionibus unde earum malitia exsurgit, et exclusis circumstantiis quae actionem licitam redderent.

449. "In nullo igitur [haec lex naturalis et aeterna] deficere potest, in nullo derogationem pati. Nihil ex improviso continget unquam, quo actio ut mala repro-

---

[1] Laloux, *Tract. De Actibus Humanis*, Diss. 7. sect. 1.

bata efficiatur bona. Nulla est exceptio, nulla restrictio, quae non fuerit prius definita, nulla quae ipsius prohibitionis substantiam non ingrediatur, quae ejus sensum non determinet . . .

450. "Itaque actiones quae non vetantur nisi quia nocumentum afferunt, v.g. occisio, mutilatio, divulgatio defectuum proximi, etc., sunt, *juxta modum quo eas prohibet lex naturalis*, intrinsece et perpetuo et universaliter malae, aeque ac odium Dei. Nec obstat quod bonae sint, quando fiunt ob causam necessitatis aut utilitatis sufficientis; nam *lex naturalis non vetat illas simpliciter, sed tantum quando abest illa justa necessitatis aut utilitatis causa* . . .

451. At vero, "quando voce aut scriptis praecepta juris naturalis proferimus, multum abest quin in sermone nostro eadem sit perspicuitas, eadem concinnitas, quae in mente Dei omnia unico intuitu ac distincte conspicit. Persaepe prohibitiones legis naturalis non nisi in confuso videmus, nec valemus deprehendere certo et sigillatim omnes conditiones, omnes restrictiones quibus sunt circumscriptae: ad summum novimus talem actionem esse malam 'ordinarie,' esse malam 'nisi ratio necessitatis excuset:' casus autem justae hujus necessitatis nec definire explicite nec enumerare novimus . . .

452. "Sed etiamsi omnes et singulas restrictiones, ex quibus actio est prohibita, perspicue assecuti fuissemus, nos pigeret has per longos verborum circuitus exponere. Quid igitur facimus? Restrictiones illas . . aut sub verbis generalioribus indicamus, aut eas nullatenus exprimimus sermone. Dicimus v.g. '*Non licet sine justa causa* occidere, usurpare bona proximi, ejus defectus divulgare,' aut simpliciter, '*Non licet* occidere, usurpare bona proximi, ejus defectus divulgare.' . . .

453. "Quid sit imperfecti in illis loquendi formulis nemo non videt. *Prima* est quidem verissima. Illud

omne exhibet quod vetat lex naturalis, illudque solum. Sed verba quibus limites prohibitionis indicantur sunt ita generalia et vaga ut totam relinquant difficultatem in assignandis casibus particularibus pro quibus prohibitio non existit . . .

454. "*Secunda* autem formula ne generaliter quidem indicat limites intra quos tamen prohibitio est restringenda ut vera sit et legi naturali conformis. Unde necesse est ut ille qui usus est hac formula emendet postea quod universalius dixit, variasque apponat exceptiones suae propositioni. Nec mirum. Malam pronunciavit actionem quae non est intrinsece mala et jure naturali prohibita, sed potius indifferens, ut pro circumstantiis sit bona vel mala: quam malam simpliciter dicere, ideo tantum permittit usus loquendi quia *plerumque* mala est. Dum igitur postea investigat et exponit causas quae licitam reddunt actionem, exceptiones adjicit *suae formulae*, non *legi*, emendat legem *qualiter eam humano more expressit*, non legem *qualis in se existit* . . .

455. "Omnium quae de intrinseca actuum malitia diximus, haec sit ultima conclusio . . *Quidquid vere vetatur per legem naturalem in se spectatam intrinsece malum est.* Tantummodo quaestio moveri potest utrum inter *formulas* breves et sententiosas, quibus prohibitiones legis naturalis exprimere solemus, [v.g. ne oderis Deum, ne mentiaris, ne forniceris, ne occidas ne rapias bona alterius], sint quaedam quae incomplete tantum prohibitionem naturalem, prout est in se, exhibeant, quaedam proinde quae exprimant actus solummodo ut plurimum malos."[1]

---

[1] Laloux, *Tract. de Actibus Humanis*, Diss. 7. sect. 1. De eodem argumento vid. Suarez, *Tract. de Legibus*, Lib. ii. cap. 16.

456. **Principium.**—*Ex morali objecto honesto aut inhonesto desumitur primaria actus moralitas.*

457. Ex supra dictis[1] patet *morale* objectum constare ex iis omnibus ex quibus actus ita constituatur ut ad aliquam virtutem aut vitium pertineat. Jamvero, ut ait Gury,[2] moralitas quae actioni ex hujusmodi objecto inest concipitur ante omnem aliam, quae sive ex fine, sive ex circumstantiis, provenit. Sic v.g. primaria moralitas furti in eo consistit quod *res aliena aufertur domino rationabiliter invito*, quae sane inhonestas concipitur ante omnem aliam, quae provenit sive (*a*) ex *fine*, v.g. ex eo quod quis furatus est eo animo ut vendita re furtiva vinum emat *ad se inebriandum*, sive (*b*) ex *circumstantiis*, v.g. ex eo quod *rem sacram* furatus est.

458. In principio enuntiando dictum est moralitatem actus desumi *ex objecto honesto aut inhonesto;* nam, ut ex dictis n. 437. patet, quoties objectum *indifferens* est, desumenda est actus moralitas ex fine aut ex circumstantiis, quae hoc casu dicuntur *ingredi rationem objecti moralis.* Vid. exempla supra ibidem tradita.

459. Supra (n. 443.) vidimus, quod satis quidem ex jam expositis patet, objectum ex quo moralitas actus desumatur non esse objectum *remotum*, seu rem circa quam actus versetur, sed *proximum* objectum ; quod, ut vidimus, nihil aliud est quam *actus substantia*, atque bonum, malum, aut indifferens est, prout voluntas circa objectum *remotum* versetur modo regulis moralitatis conformi aut difformi.

460. Ideoque, ut rem illustrat Perin,[3] amare Deum est ex objecto bonum ; non quia Deus sit ens infinite perfectum, sed quia regulis moralitatis conforme est

---

[1] Vid. nn. 437, 438.
[2] Part. i. n. 26.
[3] *Tract. de Act. Humanis*, Quaest. 4. art. ii. § 1.

hujusmodi ens diligere ; atque e contrario odium Dei, etsi idem, nempe ipse Deus, est objectum ejus *remotum*, tamen est ex objecto malum ; moralitatis enim regulis difforme est ut actus istiusmodi circa Deum exerceatur. Similiter deducitur complacentiam peccati, v.g. ebrietatis, esse ex objecto malam ; atque e contrario ex objecto bonum esse ejusdem peccati odium aut detestationem.

§ 2. *De Circumstantiis.*

461. **Definitio.**—*Circumstantiae* sunt adjuncta quaedam sine quibus actus substantia concipi potest. Res satis supra (n. 435.) exposita est, atque magis ex exemplis mox tradendis patebit.

462. Circumstantiae revocari solent ad septem capita, quae hoc versiculo recensentur :—

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Harum prima, *quis*, declarat quinam ac qualis sit agens : an v.g. sit sacerdos, laicus, matrimonio junctus, ligatus voto castitatis, etc., etc.

Secunda, *quid*, respicit (*a*) *quantitatem* rei, ac (*b*) *qualitatem* rei aut personae, circa quam actio versatur : v.g. quanti valeat res furto ablata ; an sit calix aut aliquid aliud Deo sacratum ; an ille qui percutiatur sit clericus, consanguineus percutientis, etc., etc.

Tertia, *ubi*, respicit *locum* in quo actio fit : an v.g. in loco publico, in ecclesia aut in alio loco sacro, etc., etc.

Quarta, *quibus auxiliis*, respicit *media* aut instrumenta quibus agens utitur in operando : an v.g. alterum induxerit ad facinus patrandum, sic praebens ei occasionem peccandi ; an artem magicam in agendo adhibuerit, etc., etc.

Quinta, *cur*, respicit actionis *finem :* de quo fuse in sequenti sectione[1] agendum erit.

---

[1] Vid. infra, nn. 471. et seq.

Sexta, *quomodo*, respicit *modum* agendi: an v.g. sine plena rei cognitione, an ex infirmitate, ex passione, cum magno animi conatu seu intensitate, etc., etc.

Septima denique, *quando*, respicit *tempus* quo actio fit: an v.g. die festo, die jejunii, etc., etc.[1]

463. **Principium.**—*Actus humanus moralitatem desumit ex circumstantiis.*

464. Etenim honestas aut inhonestas actionis desumitur ex omnibus ejus elementis quae regulis morum conformia aut difformia esse possunt: jamvero circumstantiae, non minus quam ipsum objectum, possunt his regulis conformes aut difformes esse. Sic v.g. morum regulis conforme est non solum eleemosynam largiri, sed etiam largiri copiosam: e contrario iisdem difforme est non solum hominem occidere, sed etiam occidere consanguineum, clericum, etc., etc.[2]

465. Quod attinet ad actus moralitatem, tria sunt circumstantiarum genera.

466. Etenim 1° aliae sunt quae ad actus moralitatem nihil conferunt, quippe quae ex se sint omnino indifferentes: ejusmodi v.g. est utrum quis carnes manducet feria secunda an feria tertia: utrum eleemosynam largiatur manu dextera an sinistra; de quibus, et de aliis hujusmodi, nihil, ut patet, hic dicendum est. E contrario 2° aliae sunt ex quibus actionis honestas aut inhonestas ita desumitur ut ex iis bonus aut malus fiat actus alioquin indifferens, immo ut malus ex iis fiat actus alioquin bonus: de quibus supra[3] dictum est. Denique 3° sunt aliae, de quibus hic agendum est, quae moralitatem quidem actus afficiunt, sed eatenus tantum,

---

De his omnibus vid. Sporer, Tract. I. cap. ii. nn. 24-29; Perin, Quaest. iii. art. 2.

[2] Vid. Sporer, Tract. I. cap. iii. n. 21; Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. iii. § 2.

[3] Vid. supra, nn. 437, 438.

quatenus actus, alioquin bonus, ex iis efficitur melior minusve bonus, aut actus, alioquin malus, ex iis efficitur pejor, minusve malus : hujusmodi v.g. in furto aut in eleemosyna est circumstantia quantitatis ; quo pluris enim valet res ablata, eo gravius est peccatum furti, atque e contrario quo copiosiorem quis eleemosynam largitur, eo magis meretur.

467. Ex hoc 3° circumstantiarum genere aliae sunt (*a*) quae dicuntur *speciem* objecti *mutare*, eo quod aliam speciem bonitatis aut malitiae moralis eidem tribuunt : aliae vero (*b*), quae dicuntur objectum *in eadem specie* moralitatis *relinquere*, eo quod non constituunt illud in nova specie bonitatis aut malitiae moralis. Exemplum prioris (*a*) est si res ablata sit calix, aut aliquid hujusmodi Deo consecratum ; quae quidem circumstantia efficit ut actus non solum justitiae, sed etiam religioni, adversetur : exemplum alterius (*b*) est quantitas aut valor rei a fure ablatae ; sive enim res majoris sive minoris est pretii, furtum, quod est violatio justitiae, non ideo adversatur alii virtuti, immo ne injustitiae quidem speciem induit diversam. De quibus omnibus plura exponentur in Tractatu *de Peccatis*, ubi agitur de specifica peccatorum distinctione.

468. Denique circumstantiae quae objectum *in eadem specie* honestatis aut inhonestatis *relinquunt*, adhuc duplices distinguuntur : aliae enim *primo* sunt quae actus honestatem aut inhonestatem *augent ;* aliae *secundo* quae *minuunt :* atque, in utroque casu, aut *leviter* tantum, aut *graviter* seu *notabiliter*. Sic v.g. malitiam furti aggravat circumstantia majoris pretii rei ablatae ; graviter quidem, si excessus sit notabilis, secus vero tantum leviter : atque e contrario malitiam furti minuit egestas illius qui furatur ; quae si duntaxat levis est, leviter tantum minuit peccatum, si vero est gravis, peccatum minuit notabiliter, atque magis magisque minuit quo propius necessitas

accedat ad extremam, quae malitiam actus omnino aufert.[1]

469. Porro ad discernendum utrum circumstantia malitiam actus *notabiliter* augeat an *leviter* tantum, hanc regulam tradunt TT.—"In materia quantitativa, seu quae consistit in numero, pondere, et mensura, censetur circumstantia *notabiliter* aggravans quando seorsim sufficeret ad peccatum mortale: ut qui ultra viginti quinque asses, quos suppono sufficere ad peccatum mortale,[2] furaretur alios viginti quinque. In aliis autem materiis censetur *notabiliter* aggravans quando notabiliter excedit modum ordinarium peccandi in hujusmodi materiis; ut si quis per menses et annos perseveret in odio fraterno, si quis inimicum occidat membratim concidendo, etc. Si neutrum ex his occurrat, censetur *leviter* aggravans: v.g. quod fur surripuerit triginta asses, quod post rixam quis iratus aliquantulo tempore in odio permanserit, etc."[3]

470. Hic solent TT. inquirere[4] num actum alioquin bonum omnino corrumpat circumstantia quaevis vel leviter mala? Haec tamen quaestio commodius infra[5] tractabitur, quum investigabimus quatenus actum alioquin bonum corrumpat malus quivis finis agentis.

§ 3. *De Fine.*

471. **Definitio.**—*Finis* in genere est *illud ad quod assequendum opus ordinatur.* Quae definitio convenit tum fini *operis*, tum fini *operantis*.

---

[1] Vid. v.g. Gury, Part. i. n. 616.

[2] Haec quidem inserviunt ad illustrandam rem de qua hic agitur; at statuere quaenam reipsa sit *materia*, ut aiunt, *gravis*, quae sufficiat ut peccatum furti sit mortale, pertinet ad Tractatum *De Justitia et Jure.* Vid. v.g Crolly, *De Justitia et Jure*, vol. iii. nn. 268-287.

[3] Billuart, *Tract. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. iii. § 2.

[4] Vid. v.g. Gury, Part. i. n. 27.

[5] Vid. infra, n. 535.

472. Finis *operis* ille est ad quem opus ex sua natura tendit: sic v.g. sublevare miseriam pauperis est *finis operis* eleemosynae. Dicitur finis operi *intrinsecus*, quia opus hunc finem ex sua natura habet, ita ut nullo modo pendeat ex intentione agentis.

473. Finis *operantis* ille est quem agens ad arbitrium sibi constituit: sic v.g. fieri potest ut quis eleemosynam largiatur vel ad pauperis miseriam sublevandam, vel ad vanam gloriam consequendam; hi igitur, si ab agente sibi proponantur, erunt fines *operantis*. Finis *operantis* dicitur quoque finis operi *extrinsecus*, quia non provenit ex ipsa operis natura, sed, ut huic omnino extrinsecus, ab agente sibi proponitur.

474. Ex dictis patet fieri posse (*a*) ut idem simul finis sit tum *operis* tum *operantis:* aut (*b*) ut fines *operis* et *operantis* omnino diversi sint.—De solo fine *operantis* hic agendum est; quippe qui solus, praeter objectum et circumstantias, ad actus moralitatem conferat; nam finis *operis* in ipso objecto comprehenditur.

475. **Divisio.**—Finis *operantis* multipliciter distinguitur.

476. Est 1° *proximus* vel *remotus*. *Proximus* ille est qui intenditur nullo alio interposito. *Remotus* ille est qui intenditur mediante alio fine. Sic v.g. quum operarius laborat ut stipendio accepto victum sibi suisque comparet, stipendium est *proximus* laboris finis, atque victus inde comparandus est finis *remotus*.

477. Est 2° *ultimus* vel *non ultimus*. *Ultimus* ille est qui appetitur ratione sui, ita ut agens in eo sistat, non referens eum ad finem ulteriorem. Finis *non ultimus* seu *intermedius* ille est qui appetitur propter finem ulteriorem. Sit exemplum alicujus qui studiis theologicis incumbens (*a*) finem sibi proponit scientiam acquirendam, ideo autem (*b*) scientiam vult acquirere ut

sit idoneus ad statum sacerdotalem ineundum, insuper (*c*) sacerdotium appetit ut sic valeat beneficium assequi cui annexa est animarum cura, quo fungens officio (*d*) laboret in proximorum salutem, atque (*e*) sic promoveat gloriam Dei; in hoc casu finis *ultimus* studendi est Dei gloria, atque fines *intermedii* seu *non ultimi* sunt scientia theologiae, sacerdotium, beneficium, animarum cura, salus proximi.—Finis igitur *intermedius* rationem habet tum *finis*, spectatis mediis quae ordinantur ad ipsum consequendum, tum *medii*, spectato fine ulteriore ad quem ipse ordinatur.

478. Praeter finem *absolute* seu *simpliciter* ultimum, potest esse finis ultimus *secundum quid*, qui, etsi ad finem ulteriorem refertur, tamen ultimus est in aliqua serie seu ordine rerum: sic v.g. sanitas corporis est hoc sensu *finis ultimus* in negotio medicinae, atque scientia est *finis ultimus* in negotio studiorum, quamvis sanitas ac scientia referantur, sicut omnino referri debent, in finem ulteriorem, nempe in gloriam Dei.

479. Insuper potest finis ultimus esse vel *positive* vel *negative* ultimus: *positive ultimus* constituitur finis si excludantur omnes fines ulteriores; *negative ultimus* constituitur si finis ulterior, etsi non intenditur, neque tamen excluditur. Sic v.g. paucissimi sunt qui in singulis vitae quotidianae actibus perficiendis Deum sibi proponunt ut finem ultimum *positive;* nec quisquam ad hoc tenetur: debet tamen Deus saltem *negative* ultimus finis esse omnium.

480. Est 3° *totalis* vel *partialis*, prout agens (*a*) propter eum solum finem agit, vel agit simul (*b*) propter fines duos aut plures. Res illustratur exemplo alicujus eleemosynam largientis (*a*) vel ad pauperem sublevandum, vel ad vanam gloriam assequendam, vel (*b*) simul ob finem utrumque.

481. Deinde finis *partialis* est *primarius* vel *secun-*

darius, prout agens (*a*) praecipue ob illum finem agit, vel ita tantum (*b*) ut magis moveatur intentione finis alius. Sic v.g. fieri potest ut sacerdos Missam celebret primario ad cultum Deo reddendum, et secundario ad stipendium lucrandum ; aut vice versa.—Nec quidquam obstat quominus *finis* hujusmodi *secundarius* sit causa agendi, eo sensu quod ita agentem moveat ut fine illo deficiente non fecisset opus de quo agatur : res illustrari potest ex exemplo jam allato.

482. **Principium.**—*Actus humanus moralitatem desumit ex fine.*

483. Etenim ex fine, sicut ex objecto aut ex circumstantiis, potest actus esse conformis aut difformis regulis morum. Sic v.g. legi divinae conforme est non solum dare eleemosynam, sed etiam dare in satisfactionem peccatorum ; atque difforme est non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum.[1]

484. Quod principium ut evolvatur, distinguendi sunt casus qui concipi possunt, prout actus ex objecto et circumstantiis est 1° indifferens, 2° bonus, 3° malus ; atque prout in singulis his casibus perficitur ob finem (*a*) bonum, (*b*) malum, (*c*) indifferentem.[2] Itaque novem inspiciendi sunt casus, quos respiciunt quaesita quae sequuntur.

485. **Quaesita.**—QUAER. 1°. *Quomodo ex fine pendeat moralitas actus ex objecto et circumstantiis* indifferentis ?

486. RESP. Distinguendo tres casus, prout actus perficitur ob finem (*a*) bonum, (*b*) malum, aut (*c*) indifferentem.

---

[1] Vid. Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. iii. sec. 3 ; Gury, Part. i. n. 28.

[2] Hic enim abstrahimus a controversia de fine indifferente, infra, nn. 588. et seq. exponenda.

487. Itaque (*a*) si finis est *bonus*, ut v.g. si quis iter arripiat ut viam peregrino indicet,[1] actus est bonus ; quia saltem ex fine est regulis morum positive conformis : non tamen alia ei inest bonitas nisi quae ex fine provenit ; quia ex hac sola ratione positive conformis regulis morum est.

488. In hujusmodi actu, sicut supra de circumstantiis notavimus,[2] dicitur finis *ingredi rationem objecti moralis.*

489. E contrario (*b*) si finis est *malus*, v.g., ut rem illustrat Gury,[3] si quis canat ut alteri molestiam inferat, ratione contraria ostenditur actum sic fieri malum, atque ita quidem ut haec sola ei conveniat malitia, quae ex fine provenit.—Huc igitur quoque spectant ea quae jam n. 458. notata sunt.

490. Denique (*c*) si finis est *indifferens*, v.g. si in eo qui ambulat aut canit, *indifferens* censeatur haec agere ad taedium temporis minuendum, actus vel indifferens vel malus censendus est, prout quis, in controversia infra exponenda, cum Scotistis neget, vel affirmet cum Thomistis, hominem teneri, quoties deliberate agat, ulteriorem finem honestum seu moraliter bonum sibi proponere. Videantur igitur ea quae de actibus indifferentibus fuse infra exponentur.[4]

491. QUAER. 2°. *Quomodo ex fine pendeat moralitas actus ex objecto et circumstantiis* boni ?

492. RESP. Tres, ut in priore quaestione, casus distinguendo.

493. Itaque (*a*) si finis est bonus, ut v.g. si quis dat eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, actus, quum duplici ex ratione positive conformis sit regulis morum, duplicem ideo bonitatem habet, alteram ex objecto aut ex circumstantiis desumptam, alteram ex

---

[1] Vid. Gury, Part. i. n. 29, 4°.
[2] Vid. supra, n. 458.
[3] Ibid.
[4] Vid. infra, nn. 588 et seq.

fine. De quo ait S. Thomas :[1]—"Actiones humanae . . habent rationem bonitatis ex fine a quo dependent, praeter bonitatem absolutam quae in eis existit."—Ideoque, ut patet, nihil obstat quominus duplex ea honestas agenti tribuatur, dummodo, secundum dicta n. 397. quae hic fusius sunt exponenda, honestatem medii aliquo modo *directe* appetat.

494. Ab hac tamen TT. doctrina recedit Vasquesius, qui, negans honestatem medii, *quatenus medium sit*, agenti tribui posse, unicam in ejusmodi actu bonitatem subjectivam seu formalem agnoscit, eam nempe quae ex fine desumatur.[2] Qui ad suam sententiam demonstrandam argumentatur ex eo quod honestas seu bonitas eorum quae adhibentur solum ut media ad finem assequendum non est *directe* volita; neque enim medium ratione sui appetitur, sed tantum ratione finis ad quem ordinatur; ideoque ex principio n. 397. tradito infert eam solam bonitatem agenti tribuendam esse quae actui ex fine conveniat.

495. Quibus satis communiter respondent TT. nihil obstare quominus agens honestatem appetat tum finis, tum medii; sicut v.g. in exemplo allato, quum fit eleemosyna ad satisfaciendum pro peccatis, nihil obstat quominus eleemosyna appetatur non solum ratione poenitentiae, sed etiam ratione sui et propriae honestatis. Quae ut plenius exponantur,[3] animadvertere solent non omnem finem esse ultimum, sed esse fines intermedios[4]

---

[1] *Summa*, 1. 2. Quaest. 18. art. 4.

[2] Vasquez, In 1. 2. S. Thomae, Disp. 51. n. 12. "Vasquesius," ait Gonet (Tract. 3. *De Moralitate Actuum Humanorum*, Disp. 4. n. 37.), "in suam sententiam pertrahere conatur Ferrariensem et aliquos ex Nominalibus, quos tamen Salmanticenses et alii moderni ab hac opinione vindicant. Unde vix est qui praedictae subscribat sententiae praeter Vasquesium, cui proinde adaptari potest illud Genes. xvi. 12. 'Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum.'"

[3] Vid. v.g. Billuart, *Tract. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. iv. sect. 1.

[4] Vid. antea, n. 477.

qui licet ulteriori fine subordinentur, attamen etiam appetuntur ratione sui: sicut medicina sapida propter sanitatem assumpta, praeter bonitatem medii conducentis ad sanitatem, habet propriam suavitatem, quae per se et propter se placet. Quo sensu ait S. Thomas,[1] "non est inconveniens ut aliquid *propter se ametur*, et tamen *ad alterum ordinetur*.[2]

496. Subtiliter tamen animadvertit Mastrius[3] doctrinam sic traditam, etsi quidem verissima est, reipsa tamen non respicere quaestionem, de qua hic proprie agendum est, an medii honestas agenti possit tribui, eo quod eligat medium *quatenus medium est.* Etenim "conceditur medium [in casu n. 495. proposito] primario habere rationem *finis,* quatenus proxime ob suam honestatem appetitur, et secundario rationem *medii,* quatenus ob suam utilitatem appetitur propter hunc vel illum finem: qua ratione etiam conceditur . . affectum circa tale objectum primario habere rationem *intentionis,* et secundario *electionis*[4]: jam ergo patet, quod ita . . minime probatur quod *electio, ut talis,* bonitatem accipiat *a medio, quatenus tali,* sed tantum quod actus ille . . sumit bonitatem a medio, non ea ratione *qua medium* est, sed *qua finis*: quare nec totaliter primam opinionem refellit, quae, quando negat electionem sumere bonitatem a medio, loquitur de electione et medio, *quatenus talia sunt.*"[5]

497. Ideoque, ut idem animadvertit, doctrina n. 493. tradita melius stabilienda est ex eo quod medium

---

[1] In 1. Dist. 1. Quaest. 2. art. 1. ad 3.

[2] Vid. etiam Suarez, *Tr. de Bonitate et Malitia Humanorum Actuum,* Disp. vi. sect. 3; Arriaga, *De Act. Humanis,* Disp. 15; Mastrius, *De Act. Humanis,* Disp. 5. n. 226; Henno, *De Act. Humanis,* Disp. 3. Quaest. x. art. 1. concl. 2; Sporer, Tract. 1. cap. iii. n. 14.

[3] *De Actibus Humanis,* Disp. 5. n. 228.

[4] Vid. antea, n. 433.

[5] *De Actibus Humanis,* Disp. 5. n. 228.

honestum potest ita ad finem assequendum conferre ut *ipsa honestas* medii sit *fundamentum utilitatis* illius *quatenus medium* est: "quo casu actus electionis *per modum electionis* sumeret hanc propriam honestatem specificam ex tali medio, *quatenus* praecise *medium est*, et non quatenus finis . . : potest enim quis velle formaliter opus virtutis, quod cognoscit honestum esse, et ideo *velle hoc honestum*, quia confert ad finem alterius virtutis."[1]

498. Atque ita reipsa se res habet in exemplo supra saepius allato eleemosynam largiendi ad satisfaciendum pro peccatis; ut enim animadvertunt TT.,[2] eleemosyna ad poenitentiam non conducit nisi ratione suae honestatis: unde, ut ait Billuart,[3] quum eligitur ut medium, eligitur ut honestum; et ideo in ipsa medii electione honestas ejus, etiam praecise *quatenus medium est*, appetitur ita ut agenti tribui possit.

499. Neque censendum est bonitatem medii, quam ita appetatur, non eo modo appeti, quo, ut supra[4] vidimus, appeti debeat ut possit agenti in laudem tribui. Etsi enim, ut ibi dictum est, bonitas actus, ut possit agenti tribui, *directe* appeti debet, tamen minime requiritur eam appeti ut *motivum* agendi, adeo ut non possit actus in laudem tribui nisi agens eum ideo appetat *quia* honestus sit. Quod quidem si requireretur, honestas solius *finis* agenti tribui posset; quoniam vero, ut dictum est, id omnino gratis exigitur, atque reipsa satis est actum appetere sub ea ratione *qua* honestus est, ideo constat honestatem non solum finis, sed et *medii*, tribuendam esse agenti, quoties medium eatenus ad finem assequen-

---

1 Mastrius, ibid., n. 229.

2 Vid. v.g. Billuart, Diss. 4. art. iii. sect. 4. Difficultas 2nda; Henno, Disp. 3. quaest. xi. art. 1. concl. 2.

3 *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. iii. sect. 4. Difficultas 2nda.

4 Vid. antea, n. 397.

dum concurrit quatenus honestum est, seu, aliis verbis, quoties honestas medii est fundamentum utilitatis ejus ad finem assequendum.

500. Quod si medii honestas non sit fundamentum utilitatis ad finem assequendum, satis patet honestatem ejus, *quatenus* praecise *medium* est, non esse tribuendam agenti, (quum reipsa non sit *directe* volita), nisi insuper eliciat actum qualem supra n. 495. memoravimus, quo medium intendat, non solum ut medium, sed etiam ob propriam ejus honestatem. Quo sensu ait Sporer,[1] si aliquid, etsi moraliter bonum, *minime tamen attenta ejus bonitate*, arriperetur praecise ut medium utile ad aliquem finem bonum, v.g. abstinentia a vino ad tuendam castitatem, fatendum erit actum habere unam et totam bonitatem ex fine, nullam vero ex medio electo.

501. Hactenus de primo casu, in quo actus ex objecto bonus ob *bonum* finem fiat.

502. Deinde (*b*) si finis est *malus*, v.g. si quis jejunat, orat, etc., solum ob vanam gloriam, actus omnino malus est.

503. Hoc constat 1° ex Scripturis ; nam Christus (Matt. vi. 5), loquens de Pharisaeis, qui legis opera faciebant ut viderentur ab hominibus, ait : "Amen dico vobis, receperunt mercedem suam." Jamvero nisi prava intentio finis actionem totam vitiaret, potuissent mercedem aliquam a Deo expectare. Ergo prava intentio hujusmodi efficit ut mala sit actio tota.

504. Eodem spectant alia Christi verba quae in eodem capite, vv. 22, 23, leguntur : "Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit : si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit." Etenim corpus hic significat actionem seu opus, oculus vero intentionem

---

[1] Sporer, Tract. I. cap. iii. n. 14.

finis ob quem agens operatur. Sic textum interpretatur v.g. S. Augustinus:[1] "Oculum hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quidquam facimus, quae si munda fuerit, et recta, et illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quae secundum eum operamur, necesse est ut bona sint, quae omnia opera [Christus] totum corpus appellavit." Atque eodem sensu textum communiter interpretantur SS. Patres et probatissimi Scripturarum interpretes.[2]

505. Constat 2° ex ratione. Neque enim hic agitur de casu in quo duo eliciuntur actus, quorum unus statuit finem assequendum, alter eligit medium quo finis ille attingendus est. Quod si res ita fiat, nihil sane obstat quominus bonus sit actus quo medium eligitur, dummodo medium ex se bonum sit. Sic v.g. bonus est actus quo quis statuit eleemosynam largiri, etsi alio deinceps actu statuit id faciendum esse ut medium inducendi pauperem ad peccandum. Hic vero agitur de casu in quo quis uno eodemque actu statuit medium, quod ex se quidem bonum est, esse ideo adhibendum ut finis malus attingatur. Jamvero actus ille omnino difformis est regulis morum: neque enim ratio recta omnes approbat actus quibus media ex se honesta eliguntur, sed illos tantum quibus media hujusmodi eliguntur modo rectae rationi conformi. At vero rectae rationi omnino difforme est medium aliquod, quantumvis in se bonum, adhibere ut medium ad finem malum assequendum.[3] Quivis igitur hujusmodi actus malus est. Quo sensu ait S. Thomas:[4] "Quum aliquis vult

---

[1] Lib. 2. De Serm. Domini, cap. 13.

[2] De his vid. Sylvius. *In* 1. 2. *S. Thomae*, Quaest. 18. art. 4.

[3] Vid. Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. iv. sect. 1; Gonet, *Clypeus Theologiae Thomisticae*. Tract. 3. *De Moralitate Act. Humanorum*, Disp. 4. n. 9; Alasia, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 1. cap. v. art. 2. sect. iv. n. 1; Collet, *Tr. de Act. Humanis*, Cap. iv. n. 13.

[4] In 2. Dist. 38. Quaest. 1. art. 4. ad 4.

dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus *totus est malus*, licet *non ab eo omni quod in eo est* malitiam habeat."

506. Denique (*c*) si finis sit *indifferens*, TT. satis communiter, dissentientibus tamen nonnullis e schola Scotistarum,[1] consentiunt actum non esse bonum: immo malum esse docent Thomistae, quibus hic consentiunt Henno et alii quidam Scotistae.

507. Actum hujusmodi non esse bonum ostenditur ex eo quod ille qui opus, quantumvis ex objecto et circumstantiis bonum, operatur ut medium ad finem indifferentem consequendum, non *directe* intendit bonitatem medii; quae tamen, ut supra vidimus,[2] nisi directe intendatur, non dat bonitatem actui. Ita v.g. Billuart[3] et Henno.[4]

508. Doctrinae tamen huic, ut jam dictum est, adversantur nonnulli, e schola praecipue Scotistarum, docentes hujusmodi actum esse bonum, ex objecti bonitate: sic v.g. Mastrius, qui sententiam illam illustrat exemplo mercatoris mercaturam justam exercentis ad lucrandum.[5] Haec tamen sententia omnino a vero aliena esse videtur, quum nulla ratione possit medii bonitas in hujusmodi actu censeri *directe* volita adeo ut agenti tribui possit.[6]

509. At quis fortasse ex antea (n. 499.) dictis objiciat, quum bonitas medii satis, ut *directe* volita, intendatur ab eo qui actum ex objecto et circumstantiis bonum opera-

---

[1] Sic bonum esse hujusmodi actum docere videtur Mastrius, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 5. quaest. iv. nn. 220, 232, de qua sententia quaedam n. 508. exponuntur.

[2] Vid. antea, n. 397.

[3] *De Act. Humanis*, Diss. 4. art. iii. § 4. Difficultas 2nda.

[4] *De Act. Humanis*, Disp. 3. quaest. xi. art. 1. concl. 4.

[5] Vid. Mastrius, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 5, Quaest. iv. nn. 220, 232. Eandem sententiam probabilem esse censet Arriaga (Disp. 15. sect. v. nn. 33-36.), qui tamen (ibid. object. 2a, n. 36.) ut probabiliorem propugnat doctrinam communiter acceptam, ut supra (n. 507.) traditam.

[6] Vid. antea n. 397.

tur ut medium ad *bonum* finem consequendum, a pari idem dicendum esse quum quis hujusmodi actum operatur ut medium ad consequendum finem *indifferentem ?*

510. Ad haec respondemus, cum AA. n. 507. citatis, negando paritatem. Disparitas in eo consistit quod medium, *qua medium est*, non intenditur nisi ut conducens ad finem: jamvero in priore casu (*a*), de quo nn. 497-499. agebatur, sermo erat de mediis quae non solum ex se honesta sunt, sed etiam ad finem conducunt, seu media sunt, *qua sunt honesta ;* hujusmodi igitur media, quum intendantur qua *media* sunt, intenduntur qua sunt *honesta ;*[1] et ideo *directe* intenditur eorum honestas, etsi non ut finis agendi : in casu vero (*b*), de quo hic sermo est, agitur de mediis, quae, etsi sunt ex se honesta tamen non sunt honesta *qua media* sunt, quum finis ad quem conducunt indifferens sit, ad quem quidem eodem modo conducerent etiamsi ex se indifferentia, immo etiamsi inhonesta essent; honestas igitur hujusmodi mediorum, quum intenduntur tantum *qua media sunt*, non intenditur *directe*, et ideo non potest agenti in laudem tribui.

511. Exemplo rem optime exponit Arriaga,[2] "declarando," ut ait, "diversitatem inter duas electiones ejusdem medii honesti, unam ob finem honestum, alteram ob indifferentem : comestionem v.g. temperatam eligo ob Deum summe dilectum, quia illa *quum sit* ex se *honesta*, Deo placet ; eandem eligo alia vice ob finem boni nominis, ne dicar gulosus (et pone hunc finem esse in se indifferentem). In primo casu medium illud ea praecise ratione eligitur *qua est honestum*, quia ea sola

---

[1] Vid. antea, n. 498.

[2] Arriaga, *De Actibus Humanis*, Disp. 13. sect. 1. subsect. ii. n. 37. (clarissimi tamen auctoris verbis ordine aliquatenus diverso hic dispositis, ut clarius videatur quomodo illustrent ea quae nn. 497-500 et 507-510 exposita sunt). Vid. etiam Billuart et Henno, n. 507. citat.

ratione habet utilitatem ad finem intentum : ergo tunc *honestas, qua est talis*, est mihi *directe* voluntaria . . licet non in ea sola sistam, sed illam etiam ad aliam ulteriorem honestatem ordinando : quid igitur mirum, si tunc medium illud tribuat bonitatem actui ? Non ita contingit in secunda electione ; quia in eo casu honestas temperantiae est impertinens ad finem intentum ; unde etiamsi voto, aut alia ratione hominibus occulta, esset ea comestio hic et nunc illicita, retineret tamen totam suam utilitatem ad finem illum boni nominis coram hominibus ; ergo *ob eum finem non amatur* ea *honestas* . . . sed omnino per accidens se habet : quid ergo mirum, si non faciat illum actum virtuosum ? "

512. Insuper, ut n. 506. dictum est, Thomistae, cum aliis nonnullis, docent hujusmodi actum e contrario esse malum.

513. Thomistae quidem ita docent praesertim quia, ut infra videbitur,[1] propugnant hominem teneri, in omnibus actibus deliberatis, agere ob finem moraliter bonum.

514. Accedit alia ratio, qua quidem unice nituntur Henno et alii e schola Scotistarum, qui cum Thomistis hic consentiunt, etsi, ut ex infra dicendis[2] patebit, rationem Thomistarum jam allatam omnino rejiciunt. Secundo igitur probari solet haec doctrina ex eo quod " deordinatio est quando non est proportio medii ad finem, seu quando ad finem inferiorem refertur medium superius et melius ; juxta axioma, '*Bonum majus non subordinandum est bono minori*'; quod a fortiori currrit in praesenti casu, in quo id quod est bonum refertur ad id quod non est bonum, v.g. processioni sacrae adesse ad deambulandum."[3]

---

[1] Vid. infra, nn. 593. et seq.
[2] Vid. infra, nn. 616. et seq.
[3] Jaugey, Theol. Moral., *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 3. quaest. xi. art. 1. concl. 4.

515. Neque tamen, ut patet, haec ratio censere potest valere, nisi de actibus quibusdam, ac praesertim de iis qui, ut in exemplo allato, versantur de rebus sacris. Hic vero agitur de regula universali tradenda; atque aliud sane est (*a*) agnoscere *deordinationem* quandam, qualis utique esse videtur quum actus bonus ob finem indifferentem, et ideo non bonum, perficiatur; aliud vero (*b*) agnoscere *peccatum* esse ita agere. Sic v.g. quis putet *peccatum* esse in ebrio ab intemperantia bibendi abstinere etsi abstineat ob hunc solum finem ut sumptibus parcat?

516. Itaque, seposita saltem obligatione a Thomistis, ut n. 513. dictum est, propugnata, de qua fuse infra[1] agendum erit, omnino dicendum videtur, cum communiore sententia TT., actum ex objecto et circumstantiis bonum non ideo malum fieri quod ob finem indifferentem perficiatur.

517. QUAER. 3°. *Quomodo ex fine pendeat moralitas actus ex objecto et circumstantiis* mali?

518. RESP. Eosdem, ut in prioribus quaestionibus, tres casus distinguendo.

519. Itaque (*a*) si finis est *malus*, ut v.g. si quis furatur ad se inebriandum, actus, quum duplici ratione difformis sit regulis morum, duplicem inhonestatem habet, alteram ex objecto aut circumstantiis, alteram ex fine.

520. Deinde (*b*) si finis sit *indifferens*, ut v.g. si quis furatur ad taedium temporis minuendum, actus moralitatem desumit ex objecto et circumstantiis; ideoque ex iis solis malus est; neque enim alia potest ratio aut honestatis aut inhonestatis in eo inveniri.

521. Denique (*c*) si finis est *bonus*, ut v.g. si quis furatur ad pauperem sublevandum, actus non ideo desinit esse malus.

---

[1] Vid. infra, nn. 605. et seq.

522. Haec quidem, quae praecipua pars est responsionis hujus atque doctrinae hic tradendae, stabilitur 1° ex Scripturis; nam 1. Reg. xv. 11. damnatur Saul, eo quod spolia quaedam contra Dei praeceptum, licet ad sacrificandum, reservasset; et Apostolus, Rom. iii. 8., ut falsam atque Christianis maxime injuriosam repellit calumniam eorum qui tribuebant iis doctrinam huic oppositam: "Et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona. Quorum damnatio justa est."—Quo sensu S. Augustinus, de mendacio,[1] ut de re intrinsece mala,[2] strenue propug-

---

[1] *De Mendacio,* Cap. xxi. n. 42.

[2] Num vero intrinsece malum sit contra mentem loqui, investigandum est in *Tractatu de Octavo Praecepto Decalogi.* Interim vid. Carriere, *De Justitia,* Part iii. n. 930; *Mélanges Théologiques,* 4me Serie, Liege 1851, pp. 406-413, et 6me Serie, Liege 1853, pp. 410-463; atque egregium illud Em. Joan. H. Newman, S.R E. Cardinalis opus quod inscribitur *History of my Religious Opinions,* (Note G.) ubi, inter alia, haec leguntur:—

"Almost all authors, Catholic and Protestant, admit that *when a just cause is present,* there is some kind or other of verbal misleading which is not a sin. . .

"The most direct mode of verbal misleading is actually *saying the thing that is not;* and it is defended [by some] on the principle that such words are *not a lie* where there is a 'justa causa,' as *killing* is not *murder* in the case of an executioner . . . .

"Another mode of verbal misleading is *equivocation* or a play upon words; and it is defended on the theory that to lie is to use words in a sense which they will not bear; . . an equivocator uses them in a received sense, though there is another received sense, and therefore, according to this definition, he does not lie . . . Others say that all equivocations are, after all, a kind of lying; and some of these disputants infer that . . equivocation is but a half-measure, and that it is better to say at once that in certain cases *untruths* are *not lies* ....

"I think the historical course of thought upon the matter has been this; the Greek Fathers [vid. Suarez, *De Legibus,* Lib. 9. cap. xvii. nn. 4-6 (Ed. Vives, Tom. vi. p. 512.)] thought that when there was a *justa causa,* an *untruth* need not be a *lie.* St. Augustine took another view, though with great misgiving; and, whether he is rightly interpreted or not, is the doctor of the great and common view that all untruths are lies, and that there can be no just cause of untruth....

"In not ranging myself with those who consider that it is justifiable to use words in a double sense, that is, to equivocate, I put myself under the protection of such authors as Cardinal Gerdil .. and others . . .

"If all killing be not *murder,* nor all taking from another *stealing,* why must all untruths be *lies?* I will say freely that I think it difficult to answer this question; at the same time, I never acted upon such a theory myself. . .

"As to equivocation, I suppose it is from the English habit, but, without

nare solebat: ne ad aeternam quidem salutem ducendum esse quempiam opitulante mendacio.

523. Constat 2° ex ratione. Hic enim, ut supra (n. 505.) dictum est, non agitur de actibus duobus, quorum unus versatur circa finem attingendum, alter circa medium adhibendum, sed de uno eodemque actu quo statuitur finem, qui ex se quidem bonus sit, attingendum esse ope medii mali. Jamvero patet hujusmodi actum difformem esse regulis morum, et ideo malum. Neque enim approbat Deus actus omnes quibus fines honesti attingantur, sed eos tantum quibus fines hujusmodi attinguntur modo rectae rationi conformi. Atque rectae rationi plane difforme est medium inhonestum quocumque modo, et ideo ad assequendum finem quantumvis bonum, adhibere.

524. Eodem sensu argumentatur S. Augustinus[1] "Quod scelestissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri recte et juste, nec impune tantum, verum etiam gloriose, si semel concesserimus in omnibus operibus malis hominum, *non quid fiat*, sed *quare fiat*, esse quaerendum? Interest quidem plurimum qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat: sed ea quae constat esse peccata, nullo bonae causae obtentu. nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. . . . Quum vero jam opera ipsa peccata sunt, sicut furta,

---

wishing to set myself up, or taking my conscience for more than it is worth, I can only say that I admit it as little as the rest of my countrymen . . I can fancy myself thinking it was allowable in extreme cases for me [to say what is *not true*], but *never* to *equivocate*. Luther said "Pecca fortiter." I anathematize his formal sentiment; but there is a truth in it, when spoken of material acts. . .

"Supposing something has been confided to me in the strictest secrecy, which could not be revealed without great disadvantage to another, what am I to do? Supposing I was driven up into a corner, I think I should have a right to *say an untruth* . . . Society would bear me out, whether as a lawyer or a priest, in holding that I had a duty to my client or penitent, such, that an *untruth* in this matter was not a *lie*."

[1] *Lib. contra Mendacium*, Cap. 7.

stupra, blasphemia, vel cetera talia, quis est qui dicat ea esse facienda, ut vel peccata non sint, vel, quod absurdius, justa peccata sint? Quis est qui dicat, ut habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus, aut testimonia falsa vendamus, . . quis ista dicat nisi qui res humanas, omnesque conetur mores legesque subvertere"?

525. Huc igitur spectant verba S. Thomae:—"Sive voluntas sit ejus quod est *secundum se malum*, et *sub ratione boni*, sive sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala."[1]

526. His tamen objici possunt verba Christi Domini (Matt., vi. 22.) ut supra n. 504. citata: "Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit." Ibidem enim dictum est oculum hic significare intentionem finis, atque corpus significare actionem illius qui ob finem operatur: si ergo finis est bonus, videtur bonam esse actionem totam.

527. Respondendum est actionem utique bonam esse, si *finis intentio* reipsa bona sit: neque tamen bona censeri debet quaevis intentio boni finis assequendi. Aliud enim est *finis;* aliud *finis intentio*, seu voluntatis actus quo agens vult finem attingere. Quoniam igitur, ut supra n. 523. expositum est, hic non agitur de intentione quae eliciatur per actum diversum ab eo quo eligatur medium adhibendum, sed de uno eodemque actu quo statuitur finem attingendum esse ope medii mali, satis patet intentionem de qua hic agatur non posse bonam censeri; rationi enim rectae plane difformis est actus quo finis, quantumvis ex se bonus, appetitur ope mali medii attingendus.[2]—Quo sensu ait S. Bernardus:[3] "Ut

---

[1] *Summa*, 1. 2. Quaest. 19. art. 7. ad 3.

[2] Vid. Alasia, *Tr. de Act. Humanis.* Diss. 1. cap. v. art. 2. § iv. n. 11; Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. iii. § 3; Collet, *Tr. de Act. Humanis*, Cap. iv. n. 116.

[3] Lib. 1, *De Praecept. et Dispens.*, cap. 14.

interior oculus vere simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria ; caritatem in intentione, et *in electione veritatem.*"[1]

528. Etsi vero bonitas finis non tollit, dubium non est quin minuat, malitiam actus qui ex objecto malus est. Ratio est quia minor utique est affectus ad peccatum, quum voluntas non appetat malum nisi ex amore alius rei honestae, et quatenus induit rationem boni utilis ad honestum illud consequendum. Ita omnes.

---

[1] Ex doctrina nn. 521-527. exposita, in qua tradenda consentiunt TT. omnino omnes, patet quam immerito catholici, praesertim vero Societatis Jesu theologi, ab acatholicis calumnientur quasi propugnent licitum esse medium ex se malum adhibere ad finem bonum assequendum.

Calumnia ista nuper in lucem iterum emissa sic legitur in ephemeridibus litterariis anglice scriptis quae inscribuntur, *The Quarterly Review* :—

"We now come to the third great count in the indictment against the teaching of the Jesuits, that they have affirmed the maxim of means being justified in virtue of the end to which they are applied. No charge has more powerfully tended to raise popular prejudice against the Jesuit Fathers. . .

"*We believe it to be demonstrable that the maxim has been broached clearly and definitely by an unbroken chain of Jesuit divines of first-rank standing, from Busembaum down to Gury and Liberatore.*" (*Quarterly Review*, Jan. 1875, p. 69.)

Quae omnia plene profligata vid. in ephemeridibus Dublinii editis, *The Irish Monthly* (Vol. 3. n. 22., April, 1875.) ubi, inter cetera, citantur verba scriptorum Societatis Jesu, ut Cornelii a Lapide, Segneri, Bellarmini, et aliorum qui de hac re scripserunt.

Haec quidem scripsit a Lapide, in Rom. iii. 8 :—"Nota hic, nullum peccatum *nec minimum quidem veniale*, medium esse eligibile, aut faciendum, *ut peccata etiam gravissima evitentur.*"

Haec Segneri :—"L'avere addosso un peccato veniale deliberato, quantunque solo, è maggior male che se avessi addosso tutte le scabbie dell' universo .. anzi tutti insieme i diavoli dell' inferno ; ond' è che per evitar tutti quaesti mali, tu non puoi giugnere a dir con buona conscienza una sola bugia .. non a tentare un piccolo furto, non a tramare una piccola furberia.

"Nè solo ciò : ma se di più con un tal peccato veniale tu avessi modo di ridurre in un giorno alla fè di Christo, tutti i Giudei, tutti i Tartari, tutti i Turchi, tutti i Gentili, tutti in una parola i suoi popoli a lui rebelli, tu non puoi farlo : nè Dio ti rimarrebbe punto obligato per una tal riduzione, ma ti punirebbe con pena ancor sì sensibile, e si severa qual' è quella del Purgatorio, ch'eccede tutti tormenti del nostro mondo." *Ragionamento*, Novemb. 29. n. 4.

Quae anglice sic reddita loc. cit. (*Irish Monthly*, April, 1875, pag. 257) leguntur :—"To be burthened with a single deliberate venial sin, however small, is a greater evil in one's regard than to be afflicted with every possible disease . . . nay, than the very devils of hell, suffered to infest human frame. It follows that to escape these evils one can never bring

529. Unde ait S. Augustinus :[1]—"Pejor est qui concupiscendo, quam qui miserando, furatur." Et S. Thomas :[2]—"Quanto bonum intentum est melius, tanto magis minuitur culpa mendacii."

530. Hic denique cum communi sententia TT. animadvertendum est malitiam actus non ita sic minui ut peccatum de mortali fiat tantum veniale. Ratio est quia finis quantumvis bonus non minuit malitiam operis minuendo *malitiam objecti*, sed minuendo *affectum* ad illam ; quum igitur objectum ex se sit graviter peccaminosum, atque actus libere exerceatur cum plena cognitione malitiae et cum voluntario (n. 55.) perfecto, plane adsunt omnia ad peccatum mortale requisita.[3]

531. QUAER. 4°. *An possit actus simul esse bonus et malus?*

532. Antequam respondeatur notandum est 1° quaestionem non esse de *externo* actu quatenus *ex duabus aut ex pluribus voluntatibus pendeat*, ut v.g. quum famulus, hero jubente, eleemosynam pauperibus largitur: patet enim nihil obstare quominus hujusmodi actus tum bonus sit tum malus, bonus v.g. quatenus perficitur a famulo qui eleemosynam ex motivo charitatis aut misericordiae largitur, atque malus quatenus provenit ab hero qui

---

himself with a good conscience to tell a single lie .. nor attempt a slight theft, nor compass a trifling fraud,

"Not only this: but were it in one's power to bring to the faith of Christ, by means of such a sin, all Jews, Tartars, Turks, Gentiles, in a word, all the nations rebellious to God's word, one cannot so act, nor would God be obliged for such conversion, but would punish one with pain and suffering so severe as those of Purgatory, which surpass all the torments of this world."

Nec sane praetereunda sunt verba Gury, auctoris, tam temere, ut jam vidimus, citati quasi doctrinam supra reprobatam propugnasset :—"Nunquam," ait, "fas est malum *quantumvis leve* patrare ad *bonum quodcunque* procurandum : nam juxta pervulgatum axioma ex Apostolo depromptum (Rom. iii. 8.), *Nunquam sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Sic mentiri tibi non licet, etiam ad vitam hominis salvandam." Gury, Part. i. n. 6, 30. Vid. antea, n. 142.

[1] *Lib. contra Mendacium*, cap. 8.

[2] *Summa*, 2. 2., Quaest. 110. art. 2.

[3] Vid. v.g. Perin, *Tr. de Act. Humanis*, Quaest. 4. art. iii. § 1.

solummodo ob vanam gloriam eleemosynas largiri mandat. Et ratio est quia, ut supra (n. 412.) dictum est, externus actus non est formaliter bonus aut malus nisi tantum *denominative ;* ac satis patet ejusmodi actum in exemplo tradito posse tum bonum tum malum denominari.[1]

533. Immo 2° notandum est quaestionem fere omnino esse de actu *interno ;* etsi enim TT. nonnulli[2] hic agunt tum de interno actu, tum de externo, satis tamen patet quaestionem quod ad actum externum attinet non esse nisi de modo loquendi. Sic v.g. si agitur de eo qui eleemosynam largitur ob duos simul fines, quorum unus bonus est, alter vero malus, v.g. (*a*) ut pauperem sublevando exerceat opus misericordiae, atque (*b*) ut hominibus placendo vanam gloriam consequatur, quaestio, ut ait Arriaga,[3] non est de re, sed precise de nomine, utrum exterior hujusmodi actio *denominanda* sit bona simul et mala, an simpliciter mala. In qua quaestione TT. communius priorem loquendi modum adhibent.

534. Deinde 3° agitur de actu *eodem:* hic enim, ut animadvertit Suaresius,[4] omnino distinguendae sunt hae duae quaestiones : (*a*) an *simul* possint in voluntate esse *duo actus,* quorum unus bonus sit, alter vero malus ; atque (*b*) an *idem actus* voluntatis possit simul esse bonus et malus. Etsi vero de hac posteriore quaestione praecipue agendum est, quaedam pauca etiam de priore subjicientur.

535. Itaque 4° vix opus est notare, quod quidem satis ex hactenus dictis patet, quaestionem respicere actum

---

[1] Vid. Lessius, *Praelect. de Act. Humanis,* Quaest. 20. art. vi. n. 30 ; Perin, *Tr. de Act. Humanis,* Quaest. 4. art. vi. § 1.

[2] Vid. v.g. Vasquez, *In.* 1. 2. *S. Thomae,* Disp. 70. cap. 2 ; Lessius, *Praelect. de Act. Humanis,* Quaest. 20. art. vi. n. 31.

[3] *Tr. de Act. Humanis,* Disp. 21. sect. ii. n. 21.

[4] *Tr. de Gratia,* Lib. 12. cap. n. 5. (Ed. Vives. Tom. x. p. 22.)

alioquin bonum, in quo tamen circumstantia mala inveniatur, aut qui eliciatur ob malum finem qui cum alio fine bono concurrat; v.g. si voluntati eleemosynam ex motivo charitatis largiendi se immisceat tepor vel fastidium, aut si quis eleemosynam largiatur partim ex motivo misericordiae, partim ex motivo vanae gloriae.

536. Notandum est 5° sententiam eorum qui affirmative respondent intelligendam esse de fine aut de circumstantia *leviter* peccaminosa; nam satis consentiunt AA. finem, aut circumstantiam, *graviter* peccaminosam inficere totam actus bonitatem;[1] neque enim censeri potest Deum ulla ratione approbare istiusmodi actum, quo agens reatum mortalis culpae atque poenae aeternae incurrat.

537. Insuper 6° intelligenda est de fine *partiali,* qui non sit totalis et adequata ratio agendi; etenim fatentur omnes,[2] id quod satis supra[3] expositum est, omnino malum esse actum, quantumvis alioquin bonum, si perficiatur ob finem malum qui totalis sit agendi ratio. Immo solet haec sententia[4] intelligi de partiali fine tantum *secundaria.*[5]

538. Denique 7° notandum est quaestionem esse de *morali* bonitate hujusmodi actus, minime de merito ejus *supernaturali.* Aliud enim, ut ait Suaresius, est quaerere (*a*) an idem actus voluntatis possit simul ex diversis capitibus esse *moraliter* bonus et malus; aliud vero quaerere (*b*), ex hypothesi quod talis sit, an possit, quatenus bonus est, apud Deum meritorius esse *praemii supernaturalis.*[6] Hic de priore tantum

---

[1] Vid. Alasia, *Tr. de Act. Humanis,* Diss. 1. cap. v. art. ii. § 4. n. 20.
[2] Vid. Billuart, ibid.
[3] Vid. antea, nn. 503–505.
[4] Vid. v.g. Gury, Part. i. n. 30.
[5] Vid. antea, n. 481.
[6] Vid. Suarez, *Tr. de Gratia,* Lib. 12. cap. iv. n. 5. (Ed. Vives. Tom. 10).

quaestione agimus ; alteram investigant TT. in Tractatu *de Gratia.*

539. His igitur ad exhibendum genuinum quaestionis sensum praemissis,

540. RESP. *Negative.* Ita TT. communiter: dissentiunt tamen, saltem quod ad modum loquendi attinet, nonnulli, quorum sententia primo exponenda est.

541. Itaque duae sunt TT. sententiae.

542. *Prima* sententia docet actum alioquin bonum, qui ob malum finem eliciatur, ita tamen ut alius simul concurrat finis bonus, posse ex fine simul esse bonum et malum : atque a fortiore posse bonum simul et malum esse actum qui ex objecto et fine omnino bonus est, in quo tamen circumstantia leviter mala invenitur. Ita v.g. Billuart,[1] Collet,[2] Perin,[3] Laloux,[4] Gury.[5]

543. Argumentum cui praecipue innituntur sententiae hujus AA. sic proferri solet :—Si levis quaelibet inordinatio finis aut quaevis circumstantia mala inficeret totum actum, ita ut nihil in eo bonitatis remaneret, vix ullus actus bonus vel in viris sanctis reperiri posset. *Consequens* plane nimis durum et quidem absurdum est. *Antecedens* sic probat Collet :—"Idem sit de ceteris actibus judicium ac de actu illius qui sic comparatus est ut nolit quidem praedicare nisi propter Dei gloriam, aut nolit eleemosynam dare nisi propter sublevationem pauperis a Deo praeceptam, sed qui ad illa opera promptius determinari solet et velut inescari, proprii amoris titillatione, sociorum choro, invitante comitatu, vel aura populari demulcente: rara enim est avis in terris cujus operibus non nihil humani affectus sensim sine sensu misceatur."[6]

---

[1] *Tr. de Act. Humanis,* Diss. 4. art. 4. § 2. Dico 2°.
[2] *Tr. de Act. Humanis,* Cap. 4. art. ii. sect. ii. conclus. 1.
[3] *Tr. de Act. Humanis,* Quaest. 4. art. vi. § 1.
[4] *Tr. de Act. Humanis,* Diss. 7. sect. iii. punct. i. cas. 2.
[5] Part. i. n. 30.
[6] Collet. *Tr. de Act. Humanis,* Cap. 4. art. ii. sect. ii. conclus. 2.

544. Atque ad argumentum confirmandum testimonia citant SS. Patrum. Hic satis est exscribere verba S. Gregorii Magni, qui de hominum operibus ait:[1]—"Si autem de his divinitus districte discutimur, quis inter ista remanet salutis locus; quando et mala nostra pura mala sunt, et bona quae nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt?"

545. Argumentatur 2° ex eo quod actus illius qui v.g. eleemosynam, urgente praecepto, largiatur, partim ut praecepto satisfiat, partim ut vanam sibi gloriam consequatur, omnino malus censeri non potest, quum *melius* profecto sit ita agere quam praeceptum nullo modo adimplere.

546. *Altera* vero sententia, quae quidem longe communior est theologorum,[2] atque omnino tenenda videtur, negat actum posse simul bonum esse et malum, sive agatur de fine malo, sive de mala circumstantia.

547. Argumentantur AA. sententiae hujus 1° ex S. Scripturis:—"Modicum fermentum," ait Apostolus,[3] "totam massam corrumpit." Jamvero nomine fermenti interpretes satis communiter hic intelligunt vel minimam intentionem pravam: haec igitur censenda est destruere bonitatem cujusvis operis, quantumvis ex se boni.[4]

548. Neque desunt testimonia SS. Patrum:—"Nihil dici potest absurdius," ait S. Augustinus,[5] "quam opus aliquod esse simul justum et injustum."

549. Atque huc insuper spectat celeberrimum illud, quod jamdiu in axioma scholarum transiit, dictum

---

[1] Lib. 35. *Moral.* Cap. 16.

[2] Vid. v.g. Suarez, *Tr. de Bonitate et Malitia Act. Humanorum*, Disp. 8. sect. 1. (Ed. Vives, Tom. 4. p. 401.); *Tr. de Gratia*, Lib. 12. Cap. iv. n. 6. (Ed. Vives, Tom. 10. p. 22); Esparza, Lib. 3. *De Act. Humanis*, Quaest. 28; Vasquez, in 1. 2. *S. Thomae*, Disp. 70. cap. 2; Gonet, *Tr. de Moralitate Act. Humanorum*, Disp. 4. art. 1.

[3] 1 Cor. v. 6.

[4] Vid. Alasia, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. i. cap. v. art. ii. § 4. n. 21.

[5] *Lib. contra Mendacium*, Cap. 15.

scriptoris, cujus opera, saeculo quinto conscripta, sub nomine S. Dionysii Areopagitae apud auctores, praesertim veteres, citari solebant :—" Bonum ex integra causa : malum ex quocunque defectu."[1] Quod quidem axioma, ut ait Esparza,[2] est ita accipiendum " ut negetur aliquam . . bonitatem moralem convenire posse actui cui convenit aliqua ratio malitiae imputabilis operanti propter eundem actum."—De hoc axiomate plura infra[3] exponenda sunt.

550. Praecipuum vero sententiae hujus argumentum sic tradi solet :—Ut actus habeat bonitatem aliquam moralem non satis est *objectum* ejus Deo placere, seu a Deo approbari, necesse autem insuper est ut Deo placeat *objectum* ejus *esse volitum*, atque volitum quidem *eo modo quo actus*, de quo agitur, *circa illud versatur*. Nequaquam vero Deo placere potest ut quis objectum, quantumvis ex se bonum, velit ob finem malum, neque ut conjunctum cum circumstantia mala. Ergo eo ipso quod actus hujusmodi est, omnino non potest esse moraliter bonus.[4]

551. Argumentantur denique ex eo quod si actus posset simul esse bonus et malus, nihil sane obstaret quominus quis eodem actu promereretur vitam aeternam atque poenam purgatorii : quod quidem, ut ait Vasquesius,[5] si adversarii fatentur, fateri etiam debent hominem posse eodem opere individuo simul mereri poenam purgatorii atque pro eadem satisfacere. Quae sane vix dicenda videntur.

552. Deinde ad argumenta prioris sententiae sic respondent :—

---

[1] *Lib. de Divinis Nominibus*, Cap. 4. p. 3.
[2] *Tr. de Act. Humanis*, Quaest. 28.
[3] Vid. infra, nn. 562. et seq.
[4] Vid. Suarez, Vasquez, Esparza, Gonet, locis n. 546. citatis.
[5] Vid. Vasquez, *In.* 1. 2. *S. Thomae*, Disp. 70. cap. 2. n. 8 ; Suarez, *Tr. deGratia*, Lib. 12. cap. iv. n. 10. Ed. Vives. Tom. 10. p. 24.

553. Ut 1[m] argumentum (n. 543.) solvatur, distinguendum est inter haec duo, quae, ut jam expositum est, omnino diversa sunt; (*a*) *eundem* voluntatis actum simul esse bonum et malum; (*b*) *duos* simul in voluntate esse actus, quorum alter bonus sit, alter vero malus. Horum quidem primum repugnare demonstrant rationes nn. 547-551. traditae: alterum vero tantum abest ut repugnet, ut contra possit facillime evenire, atque reipsa eveniat in iis casibus quos recensent adversarii in argumento n. 543. tradito.

554. Sic v.g., ut rem illustrat Suaresius,[1] "si quis communicat coram aliis, potest id non facere ut videatur ab aliis, sed optima intentione, et debito tempore, loco, et modo, ac proinde actum religionis simpliciter bonum . . . efficere. Et nihilominus simul et eodem tempore potest insurgere cogitatio et delectatio, quod propter illum actum bonus ab aliis reputetur, in quo voluntarie complaceat, non sine veniali culpa. Nam hi actus *non repugnant esse simul.*" Etenim in ejusmodi casu inanis gloria non (*a*) est finis in quem referatur actus religionis, neque (*b*) est circumstantia hujus actus, sed (*c*) est actus omnino distinctus, qui comitatur actum bonum cujus occasione in mente suboritur.[2]

555. Quae distinctio si prae oculis habeatur, omnino evanescit difficultas cui innititur argumentum n. 543. traditum; neque enim necesse est negare bonos esse actus eorum qui vel opera pietatis peragentes, aliquando, ut ibidem expositum est, a tramite virtutis aliquatenus deficiant; dicendum vero est in iis casibus, simul cum actibus omnino bonis, actus alios elici qui leviter peccaminosi sunt.

556. Atque huc spectant ea quae tradunt Esparza,[3] et

---

[1] *Tr. de Gratia.* Lib. 12. cap. iv. n. 11. (Ed. Vives, Tom. 10. p. 24.)

[2] Vid. Alasia, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. I. cap. v. art. II. § 4. n. 23, qui hanc rem aliis quoque exemplis illustrat.

[3] Lib. 3. *De Actibus Humanis*, Quaest. 28. n. 5.

alii post eum TT.,[1] de illis qui vanae gloriae desiderio, vel alio ejusmodi affectu peccaminoso, tantopere afficiuntur, ut, etiamsi haec non sibi proponant ut fines agendi, tamen ita sint animo affecti ut nisi ea adessent, actus bonus de quo agitur minime eliceretur.

557. Etenim, ut rem exponit Esparza,[2] quis potest duobus modis ejusmodi affectibus moveri ad agendum, (*a*) *directe* et *positive*, si affectus de quo agitur sit ratio directe intenta, propter quam actus eliciatur; (*b*) *indirecte* tantum et *negative*, si sit objectum simplicis complacentiae, quae eatenus tantum est causa actus, quatenus tollit difficultatem quandam quae alioquin obstaret quominus actus eliceretur.

558. Exemplum prioris (*a*) est in eo qui eleemosynam ideo largitur ut hominum plausus consequatur. Exemplum alterius (*b*) in eo est qui, quum eleemosynam ex motivo charitatis largitur, hunc actum apprehendit non solum ut conferentem ad vitam aeternam, sed etiam ut magni aestimatum apud homines, atque adeo etiam ut omissio ejus sit valde ignominiosa: etsi enim temporalia haec commoda largiendi eleemosynam apprehenduntur per simplicem, ut aiunt, complacentiam, neque directe intenduntur ut fines agendi, tamen dubium esse nequit quin iis propositis facilior efficiatur eleemosynae largitio et difficilior ejusdem omissio; minuitur enim vis avaritiae atque aliorum hujusmodi motivorum quae absterrent ab eleemosyna largienda. Quum saepe igitur ea quae difficilia sunt ideo praecise non fiant, quia sunt difficilia, ita ut, caeteris paribus, facienda essent si difficultas abesset, constat motiva, sic per simplicem complacentiam apprehensa, etsi nullo modo sint directe intenta, *indirecte* saltem et *negative* ad actum movere posse tollendo

---

[1] Vid. v.g. Struggl, *Theol. Dogmatica*, Part. I. tract. iv. disp. 4. quaest. i. art. 4. nn. 2, 3; Sporer, Tract. I. cap. iii. n. 16.
[2] Ibid.

difficultatem quae alioquin actum impediret. Ita Esparza.[1]

559. De quibus insuper notandum est 1° ejusmodi complacentiam posse ita animo inesse, atque modo exposito in opus influere, etsi solummodo per intellectum apprehendatur, neque ullus circa eam eliciatur deliberatus actus voluntatis;[2] atque 2°, ejusmodi voluntatis actum, etiamsi adsit, omnino distinctum esse ab actu, v.g. largitionis eleemosynae, ad quem complacentia dicitur negative movere; idque sive complacentia haec antecedit actum, sive subsequitur eum, sive etiam eum comitatur.[3]

560. Re sic exposita, facile solvitur argumentum (n. 544.) deductum ex testimoniis SS. Patrum; neque enim ea intelligenda sunt de actibus justorum velut partim bonis et partim malis, sed de actibus omnino bonis, quos alii simul comitantur actus venialiter peccaminosi.

561. Denique ad argumentum n. 545. traditum respondent negando illum qui agat ob finem malum, etsi cum bono fine, v.g. praeceptum adimplendi, conjunctum, proprie dici posse "*melius* agere" quam ille qui actum praeceptum omittat; "etsi enim," ut ait Gonet,[4] "is qui, urgente praecepto dandi eleemosynam, eam tribuit ob inanem gloriam, *minus peccet* quam qui nullo modo adimplet tale praeceptum . . . non tamen proprie et formaliter loquendo *melius facit;* quia neuter formaliter *bene* facit. . . . Sicut *minus peccat* qui dormiens adimplet, seu non frangit, praeceptum non furandi, quam qui illud violat; non tamen proprie *melius facit*, quia dor-

---

[1] Lib. 3. *De Actibus Humanis*, Quaest. 28. n. 5. Vid. etiam Struggl, *Theol. Dogmatica*, Part. 1. tract. iv. disp. 4. quaest. i. art. 5. n. 2; Sporer, Tract. 1. cap. iii. n. 16.

[2] Vid. Esparza, ibid. n. 6; Struggl, ibid. n. 4.

[3] Vid. Struggl, ibid. n. 4.

[4] Tract. 3. *De Moralitate Act. Humanorum*, Diss. 4. art. i. n. 25.

miens, nullam exercens operationem, nihil *boni* facit, et ubi non est *bonum*, *melius* esse non potest."

562. QUAER. 5°. *Quo sensu intelligendum sit TT. axioma supra*[1] *memoratum:* Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu?

563. Responsioni praemittendum 1° *causam* nihil aliud hic significare quam complexum trium elementorum, objecti, circumstantiarum, et finis, ex quibus, ut n. 430. dictum est, pendet moralitas actus.

564. Praemittendum est 2°, ut causa censeatur *integra*, minime requiri haec tria elementa esse bona. Etenim *integra* censetur causa dummodo actus (*a*) sit aliquo modo bonus, sive ex objecto et circumstantiis, sive ex fine, neque (*b*) aliunde vitietur.

565. Denique 3°, antequam sensus axiomatis plenius exponatur, abs re fortasse non est notare vocabulum *axioma* non hic sumi eodem sensu quo loquuntur v.g. mathematici de axiomatibus geometriae. Matheseos enim axiomata principia sunt, quae *prima* vocantur, quorum veritas, quum ex sola definitione terminorum pateat, nulla indiget demonstratione, immo nec demonstrari potest, quum alia non possint inveniri principia iis notiora. Hujusmodi vero non est axioma de quo hic agitur; etsi enim solet, secundum usum scholarum, axioma dici, potius tamen inspicienda est ut *formula* quaedam, qua nitide exprimantur plures veritates aliunde cognitae; neque ejus veritas ex se patet, sed cognoscitur ex demonstrata veritate eorum omnium quae in ea exprimuntur.

566. Inspicienda igitur sunt omnia hactenus a n. 456. tradita, ut sic axiomatis hujus, seu formulae, exponatur sensus et simul veritas demonstretur.

567. Et quidem prius notari debet casus plurimos

---

[1] Vid. antea, n. 549.

esse hic distinguendos. Etenim primo potest *objectum* actus esse (*a*) bonum, (*b*) malum, vel (*c*) indifferens; deinde sive bonum, sive malum, sive indifferens est objectum, possunt *circumstantiae* esse (*a*) bonae, (*b*) malae, aut (*c*) indifferentes; itaque ex moralitate objecti et circumstantiarum distinguuntur casus novem; ex quibus ultimo consurgunt viginti et septem, quum in singulis (ut hic abstrahamus a controversia Thomistarum et Scotistarum infra discutienda) possit (*a*) bonus, (*b*) malus, vel (*c*) indifferens esse *finis*.

568. Satis tamen facile possunt hi omnes casus ex antea dictis resolvi.

569. Et primo inspiciatur *objectum:* quod potest esse vel malum, vel bonum, vel indifferens.

570. Quum objectum 1° est *malum*, actus, etiamsi boni sint finis et circumstantiae, malus est: quod satis constat ex antea dictis nn. 521-527. Sic statim resolvuntur casus novem ex septem et viginti jam dictis.

571. Quum 2° objectum *bonum* est, adhuc novem sunt casus distinguendi. Vel enim (*a*) *bona* sunt alia duo actus elementa; vel (*b*) sunt *indifferentia;* vel (*c*) sunt *mala;* vel unum ex iis *malum* est, alterum *bonum*, sive quidem (*d*) malus est finis, circumstantiae vero bonae, sive (*e*) bonus est finis, circumstantiae malae; vel unum ex iis *malum* est, alterum *indifferens*, sive quidem (*f*) malus est finis, circumstantiae indifferentes, sive (*g*) finis indifferens est, circumstantiae vero malae; vel denique unum ex iis *bonum* est, alterum *indifferens*, sive (*h*) finis bonus est, circumstantiae indifferentes, sive (*i*) finis indifferens est, circumstantiae vero bonae.

572. Itaque (*a*) si *bona* sunt alia duo actus elementa, *circumstantiae* et *finis*, tunc actus, ut patet, est omnino bonus.

573. Si (*b*) *circumstantiae* et *finis* sunt *indifferentes*,

tunc actus, etsi, ut constat ex antea[1] dictis, non potest censeri bonus, tamen, ut quoque ex dictis[2] constat, neque malus est censendus, sed indifferens, nisi cum Thomistis[3] quis propugnet obligationem ulterius referendi hujusmodi actum in alium finem moraliter bonum.

574. Si (*c*) *circumstantiae* et *finis* sunt *mali*, tunc actus malus est. Hoc, quod ad *circumstantias* attinet, ab omnibus agnoscitur, si agitur de circumstantia *graviter* mala: idem dicendum esse de circumstantia vel *leviter* mala, supra[4] statuimus; sunt tamen, ut ibidem vidimus, qui id negent. Etiam quod ad *finem* attinet, ut antea[5] dictum est, sunt qui negent actum ideo vitiari quod cum alio fine bono concurrat malus finis *partialis*, dummodo partialis ille finis *secundarius* sit, et *leviter* tantum malus: ibidem vero propugnavimus sententiam quae docet actum malum fieri etiamsi agatur de fine hujusmodi vel *secundario*, et *leviter* tantum malo.

575. Deinde si ex duobus his elementis unum est malum, alterum bonum, actus malus est. Etenim (*d*) si *finis malus* est, etsi bonae sint circumstantiae, res patet ex dictis n. 505. Atque eadem ratione constat (*e*), etsi bonus sit finis, si *malae* sunt *circumstantiae*.

576. A fortiore constat malum esse actum si ex duobus iis elementis unum malum est, alterum non bonum sed indifferens. Res patet sive (*f*) *malus* est *finis*, *circumstantiae* vero *indifferentes*; sive (*g*) *finis indifferens* est, *circumstantiae* vero *malae*.

577. Si (*h*) *finis* est *bonus*, etsi *indifferentes* sint *circumstantiae*, actus plane bonus est. Patet ex antea n. 493. dictis.

578. Si vero (*i*) *finis indifferens* est, etsi *circumstantiae*

---

[1] Vid. antea, nn. 507-511.
[2] Vid. antea, nn. 512-516.
[3] Vid. infra, nn. 593. et seq.
[4] Vid. antea, nn. 546. et seq.
[5] Vid. antea, n. 542.

sint *bonae*, actus, ut in casu fere simili n. 573. exposito, neque bonus censeri potest, neque malus, sed indifferens, nisi quis cum Thomistis propugnet eum malum esse ob rationem ibidem allatam.

579. Sic igitur solvuntur casus novem qui distingui possunt quum objectum est *bonum*.

580. Denique 3° quum objectum *indifferens* est, casus novem eodem modo distinguendi sunt.

581. Et quidem (*a*) si *circumstantiae* et *finis* sunt *boni*, actus plane bonus est.

582. Si (*b*) *circumstantiae* et *finis* sunt *indifferentes*, omnino indifferens est actus, nisi, ut supra n. 573. dictum est, quis cum Thomistis propugnet actum ideo malum esse quod homo teneatur eum ulterius referre in finem moraliter bonum.

583. Si (*c*) *circumstantiae* et *finis* sunt *mali*, actus omnino malus est. Vid. n. 489.

584. Deinde si ex duobus iis elementis unum malum est, alterum vero bonum, actus adhuc est malus. Etenim (*d*) si *finis malus* est, etsi bonae sint circumstantiae, res (sicut in simili casu n. 575. tradito) a fortiore constat ex dictis n. 505. Atque eadem ratione constat (*e*) etsi finis bonus sit, si *malae* sunt *circumstantiae*.

585. A fortiore igitur constat actum esse malum, si ex duobus iis elementis, unum malum est, alterum non bonum sed indifferens. Res patet ex jam dictis, sive (*f*) *malus* est *finis*, *circumstantiae* vero *indifferentes;* sive (*g*) *finis indifferens* est, *circumstantiae* vero *malae*.

586. Si (*h*) *finis* est *bonus*, etsi *indifferentes* sint *circumstantiae*, actus plane bonus est. Vid. antea dicta, n. 487.

587. Si vero (*i*) *finis indifferens* est, etsi *circumstantiae* sint *bonae*, actus, ut in casibus nn. 573. et 578. expositis, neque bonus est censendus, neque malus, sed indifferens, nisi quis cum Thomistis propugnet eum malum esse ob rationem ibidem memoratam.

588. QUAER. 6°. *An possit esse actus indifferens?*

589. Antequam respondeamus, plura praemittenda sunt quo clarius exponatur sensus quaestionis, quae, Scotistis affirmantibus, negantibus Thomistis, acerrime in scholis disputatur.

590. Itaque 1° notandum est actum spectari posse (*a*) *in specie*, vel (*b*) *in individuo*. Dicitur (*a*) spectari *in specie* quum inspicitur tantum objectum seu substantia actus, v.g. furari, ambulare, largiri eleemosynam, sepositis omnino circumstantiis atque fine operantis. Dicitur (*b*) spectari *in individuo*, quum inspiciuntur non solum objectum actus, sed etiam circumstantiae, et finis operantis. Vix opus est animadvertere actum ut *in specie* inspicitur non existere nisi in mentis, ut aiunt, abstractione; sicut enim non existit homo in genere, qui est animal rationale et nihil aliud, semper autem existit homo "*in individuo* et sub omnibus accidentibus individuantibus . . non tantum animal rationale, sed sanus vel aeger, doctus vel indoctus, albus vel niger, etc., etc.,"[1] ita quoties perficitur actus humanus, v.g. orandi, furandi, ambulandi, necessario perficitur in aliquibus circumstantiis atque ab agente qui finem aliquem sibi proponat.

591. Notandum igitur 2° est quaestionem respicere actum spectatum *in individuo*. Neque enim dubium esse potest quin possit indifferens esse actus si *in specie* tantum inspiciatur; plurimi enim sunt actus quorum objectum, seu substantia, ejusmodi est ut neque approbetur a Deo ut moraliter bona, neque reprobetur ut moraliter mala, sed tantum permittatur ut indifferens. "Bonum," ait S. Hieronymus,[2] "est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens est ambulare." Atque eodem sensu ait S. Thomas,[3] "quidam actus sunt

---

[1] Billuart, *Tract. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. 5.
[2] Epist. 89.
[3] *Summa*, 1. 2. Quaest. 92. art. 2.

boni ex genere, qui sunt actus virtutis . . ; quidam vero sunt mali ex genere, sicut actus vitiosi . . ; quidam vero sunt actus indifferentes." Nec tamen defuerunt TT., etsi quidem paucissimi, qui id, omnino sane contra rei veritatem, negarent: quam sententiam TT. nonnulli,[1] reclamantibus tamen Scotistis,[2] ipsi Scoto tribuunt.

592. Insuper 3° notandum est quaestionem non esse an actus, vel *in individuo* spectatus, possit esse indifferens *in ordine supernaturali.* Etenim omnino constat esse actus hac ratione indifferentes, qui nempe nec peccata sint, nec tamen mereantur praemium supernaturale. Hujusmodi sunt opera moraliter bona quae ab infidelibus fiunt, v.g. quum infidelis ex naturali affectu misericordiae eleemosynam largitur. Haec enim, quum non proveniant ex gratia, quae meriti cujusvis supernaturalis est principium, supernaturalis praemii meritorii esse non possunt: neque tamen, quum sint moraliter bona, censeri possunt esse peccata; quo spectat 25ª ex Baii propositionibus a S. Pio V. et a Gregorio XIII. damnatis:—"Omnia opera infidelium sunt peccata, et virtutes philosophorum sunt vitia."[3] Constat igitur esse actus hoc sensu indifferentes in ordine *supernaturali*, adeo ut quaestio inter Catholicos hic esse nequeat nisi de actibus indifferentibus in ordine *naturali*, qui nempe nec *moraliter* boni sint nec mali.

593. Praemittendum est 4° sententiam Thomistarum, qui, ut jam dictum est, quaestioni respondent negative, omnino in eo inniti quod propugnent obligationem

---

[1] Vid. v.g. Struggl, *Theologia Dogmatica*, Part 1. tract. iv. disp. 4. quaest. 2. art. i. n. 6: Billuart, *Tract. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. 5.

[2] Vid. v.g. Henno, *Tr. de Act. Humanis*, Dist. 3. quaest. 6. De his vid. etiam Suarez, *Tr. de Bonitate et Malitia Act. Humanorum*, Disp. 9. sec. i. n. 2.

[3] De quo vid. v.g. Perrone. *Prael. Theol.*, *Tr. de Gratia*. n. 138: Murray, *Tr. de Gratia*, Disp. vi. nn. 13, 87, 89; Schouppe, *Compend. Theol. Dogm.*, *Tr.* 9, *De Gratia*, n. 135.

divini juris, tum naturalis tum positivi, qua homo, "quotiescunque deliberate agit, *tenetur actioni suae praestituere finem honestum:* quod si faciat, actus (modo aliunde non sit malus) erit bonus ; si non faciat, erit malus, quia carebit fine sibi debito : ergo non datur, nec dari potest, actus *in individuo* indifferens."[1] Aliis igitur verbis, Thomistae docent actiones ex objecto indifferentes, v.g. "se calefacere ad expellendum frigus, ambulare vel quiescere propter sanitatem, audire concentum musicum, aspicere pulchra visu, odorare flores, etc., etc., non esse indifferentes, sed bonas vel malas, dum *in individuo* et deliberate exercentur. Bonae sunt, si non exerceantur mere propter tales fines, sed *ulterius referantur* ad aliquem finem honestum . . . v.g. dum quis manducat, aut se calefacit, ne alioquin fiat inhabilis ad fungendum suis muniis . . . *Malae sunt si exerceantur sine ejusmodi fine*, v.g. dum quis manducat, aut se calefacit, mere ob delectationem, vel ad evitandam molestiam famis vel frigoris ; quia tunc carent fine debito."[2] Uno verbo Thomistis non satis est actus non esse ex se malos (neque de malis actibus, ut patet, potest hic esse quaestio), sed insuper exigunt ut in finem honestum ulteriorem *positivo actu referantur*. Num vero haec docentes Angelici sui Doctoris sententiam sequantur, ex infra (nn. 674-688) dicendis patebit.

594. Insuper 5° praenotandum est, ad quod tamen vix animum advertere videntur plerique ex iis qui sententiam propugnant Thomistarum, quaestionem respicere non tantum ea quae fiant ob finem *sensibilem*, sed ea etiam quae fiant ob finem aliquem *rationalem* qui tamen non sit honestus seu moraliter bonus. Etenim omnino gratis fingeretur, nec quisquam reipsa videtur

---

[1] Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. 5. Probatur 2°.
[2] Perin, *Tr. de Act. Humanis*, Quaest. 4. art. v. § 2. obj. 4°.

affirmare, *moraliter bonum* seu *honestum* esse id omne quod conveniat naturae hominis *rationali* seu *intellectuali.* Hic v.g. inter fines indifferentes recenset Mondschein[1] "voluptatem sciendi," et "gustum" quem matheseos peritus experitur in demonstratione mathematica perscrutanda. De his iterum infra[2] videbitur.

595. Praeterea 6° notandum est quaestionem esse tantum an actus possit *per se* esse sensu exposito indifferens; neque enim Thomistae negant id posse *per accidens* fieri, ita ut moralitas actus, qui *objective* seu *materialiter* bonus sit aut malus, tamen non tribuatur agenti, cujus actus igitur *subjective* seu *formaliter* spectatus indifferens erit. Quod quidem tribus modis fieri potest.

596. Sic *primo* evenit in actibus omnino *indeliberatis* "qui ex naturae impulsu procedunt, ut plerumque sunt v.g. fricare barbam, manum aut pedem movere; hi enim quum non sint actus humani . . satis constat non esse [*formaliter* seu *subjective*] bonos aut malos moraliter."[3] Quod verum esse patet non solum si agitur, ut in exemplis allatis, de actibus quae secundum *speciem*, seu ex objecto, indifferentes sunt, sed etiam de iis qui ex objecto sunt moraliter boni aut mali.

597. Item *secundo* evenit in iis actibus qui, etsi ex plena deliberatione, atque modo humano, tamen ita fiunt ut agens ad eorum moralitatem minime advertat. Sic v.g., ait Struggl, saepe legimus, scribimus, et alias actiones indifferentes exercemus, sine reflexione ad licentiam et regulas morum.[5] Quo quidem modo, etsi

---

[1] *Tr. de Act. Humanis*, n. 470.

[2] Vid. infra, nn. 621, 623.

[3] Vid. Gonet, *Tract. de Moralitate Act. Humanorum*, Disp. 5. art. i. n. 2; Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. 6.

[4] Vid. Vasquez, *In* 1. 2. *S. Thomae*, Disp. 52. cap. iii. n. 15.

[5] Ita Struggl. *Theol. Moralis.* Tract. 1. quaest. ii. n. 28. Vid. etiam Suarez, *Tr. de Bonitate et Malitia Act. Humanorum*, Disp. 9. sect. iii. n. 10; A. Mayr, Tract. 4. disp. i. quaest. 3. art. iii. n. 188.

rarius, tamen aliquando fiunt actus qui ex objecto moraliter boni aut mali sunt.

598. Insuper, ut satis ex dicendis in Tractatu *de Conscientia* patebit, hoc *tertio* evenire potest si quis, re bene perpensa, bona fide judicat Scotistarum sententiam esse solide probabilem, aut saltem si judicat eam esse notabiliter probabiliorem sententia Thomistarum. Quamvis enim falsa esset sententia Scotistarum, adeo ut reipsa malus esset actus qui sine relatione de qua agitur perficeretur, tamen vel ipsi Thomistae fateri debent illos quibus ea sententia solide probabilis, aut saltem illos quibus notabiliter probabilior, videatur, a peccato *formali* excusari posse, secundum principia a Probabilistis, aut saltem a Probabilioristis, tradita.[1]— Hoc tamen, etsi omnino quidem immerito, negant nonnulli e Thomistis insignioribus. Sic v.g. ait Billuart: "Quidam existimant posse in hoc casu dari actum indifferentem *per accidens*, et ratione ignorantiae invincibilis . . Melius tamen videtur negandum posse dari ignorantiam invincibilem obligationis praefigendi suis actionibus finem honestum."[2] E contrario tamen, ut animadvertit Arriaga, qui testatur se nunquam de illa obligatione referendi actus cogitasse donec audisset quaestionem hanc in scholis agitari, omnino dicendum videtur non solum rem ita contingere posse, sed satis communiter reipsa ita contingere.[3]

599. Insuper 7° notari debet Thomistas non exigere ut homo de fine honesto cogitet in singulis actibus, adeo ut actus fieri debeant ex *actuali* hujusmodi finis intentione. *Virtualem* enim intentionem agnoscunt ad praecepto satisfaciendum sufficere.

---

[1] Vid. Suarez, *Tr. de Bonitate et Malitia Act. Humanorum*, Disp. 9. sec. iii. n. 10.

[2] Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. 6. Vid etiam Gonet, *Tr. de Moralitate Act. Humanorum*, Diss. 5. art. i. n. 35.

[3] Vid. Arriaga, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 21. sect. iv. n. 56.

600. Sic v.g. exponit Billuart "hoc praeceptum . . non esse neque nimis rigorosum aut onus intolerabile, neque ex eo sequi homines continuo peccare; quia non requirimus *actualem* relationem in finem honestum . . . sed sufficit *virtualis*, quae habetur vi intentionis *praecedentis actualis*, saltem generalis, vivendi et semper agendi secundum rationem, et meliori quo potest modo, quae virtualiter perseveret *nisi revocetur per contrariam intentionem.*

601. "Non ergo," ait, "ex nostra sententia, sequitur in his communibus et levibus actionibus continuo peccari, quia vel virtualiter referuntur ad finem honestum, vel sunt indeliberatae, ut ordinarie accidit. Quod si sint deliberatae et ad nullum finem honestum referantur, non est inconveniens eas computare inter peccata . . . In actionibus ludendi, se calefaciendi, comedendi, bibendi, et similibus, non ita frequenter ut fingitur peccant homines probi, quia non raro referuntur *virtualiter* ad finem honestum (in generali intentione virtualiter remanente, quam quilibet vir probus semper habet, vivendi et agendi semper secundum rationem, et meliori quo potest modo; tunc enim illae actiones . . referuntur virtualiter ad finem honestum), nempe ad rectam et bonam habitudinem corporis, quantum necessaria est ad suas et animae functiones."[1]

602. Ex verbis citatis sequi videtur intentionem quam exigit Billuart reipsa non esse *virtualem*, sensu supra n. 68. exposito, sed sufficere *habitualem*. Alii vero sententiae hujus patroni intentionem proprie dictam *virtualem* exigunt; sic v.g. Collet sententiam Thomistarum propugnans exponit intentionem requisitam ejusmodi esse quae profluat ex intentione actuali praeterita, "*non retractata*" per actum contrarium,

---

[1] Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. vi.

v.g. per peccatum, *neque interrupta per longiorem temporis moram.*"[1]

603. Quod si quis quaerat quoties renovari debeat intentio actualis, ut censeatur *virtute* permanere, tot fere sententias quot sunt capita inveniet. Neque id mirum est. Obligationis enim hujusmodi, a Thomistis, ut videtur, sine solido fundamento propugnatae, vix potest ratio solida inveniri cur semel, potius quam pluries, in singulis hebdomadis, diebus,[2] aut horis, urgere dicatur.—Alia quaedam quae huc spectant videantur infra nn. 655–672.

604. Denique 8°, cavendum est ne ex hactenus expositis de sententia, quae vocatur, Thomistarum, censeatur TT. qui eam propugnent, sententiam Angelici sui Doctoris reipsa secutos esse. Ingenue quidem fatentur Scotistae D. Thomam in hac quaestione ipsis adversari.[3] Nec dubium esse potest quin actum posse *in individuo* indifferentem esse ille neget.[4] Non minus tamen evidens videtur, quod satis, ni fallor, ex infra (nn. 674-688) dicendis patebit, Angelicum Doctorem ideo tantum negare *indifferentes* esse actus, quia docet eos actus de quibus hic agitur non *malos* esse, sed *bonos.* Neque enim censet actum, qui ex se non malus sit, ex eo vitiari quod non referatur in ulteriorem finem honestum : plane vero docet actum, dummodo non sit

---

[1] Collet, *Tr. de Act. Humanis*, Cap. iv. n. 40.

[2] Vid. v.g. S. Alphons., Lib. 2. *De Act. Humanis*, n. 44; et infra, n. 655.

[3] Vid. v.g. Henno. *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 3. quaest. 6. resolv. 3. Auctor ille, sententiarum Scotistarum propugnator studiosissimus, haec in sua Praefatione ad Lectorem, exponens Operis rationem, habet :— "Theologiam nostram principiis Thomisticis et Scotisticis quantum licuit accommodare studuimus. Nec difficile fuit in Moralibus .. .. Non ita facilis est in Speculativis Doctorum [Angelici et Subtilis] concordia, *si saltem illorum sequacibus fidem adhibeamus:* quod addo, quia si DD. nostrorum scripta in se, cum maturitate et sine praeventione considerentur, reperientur in paucissimis contraria, ut legentem convincet hoc manuale opusculum."

[4] Vid. v.g. *Summa*, I, 2. Quaest. 18. art. 9.

malus, qui quidem nulla finis relatione cohonestari possit, relatione istiusmodi minime indigere, adeo quidem ut moraliter bonus sit, eo ipso quod non sit malus.

605. His igitur ad integre exponendum quaestionis sensum praemissis, exhibenda sunt argumenta quibus Thomistae suscipiunt sententiam suam stabilire.

606. ARGUMENTA THOMISTARUM. Argumentantur igitur 1° ex ratione theologica :—Quotiescunque homo deliberate agit, debet agere ut homo, id est, secundum exigentiam et dignitatem naturae *rationalis ;* id enim omnibus ab Auctore naturae inditum est, ut unumquodque agat secundum conditionem et exigentiam suae naturae. Atqui agere secundum conditionem et exigentiam naturae rationalis, est agere propter bonum *honestum ;* illud enim bonum honestum dicitur quod convenit et conforme est rationi. Ergo etc.[1]—*Confirmatur* argumentum ex eo quod homo suo modo agendi a brutis distingui debet ; neque enim debet esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Psalm. xxxi. 9.). Jamvero non ita distingueretur, si ob finem pure sensibilem, more brutorum, ageret[2] ; semper igitur debet suos actus referre in finem moraliter bonum seu honestum.[3]

607. Argumentantur 2° ex verbis Christi (Matt. xii. 36.) :—" Dico autem vobis quia omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii."

608. Ex quibus argumentum sic conficiunt :—Ad stabiliendam obligationem qua nititur sententia Thomistarum sufficit tria demonstrare : 1um, Christum declarasse verbum esse ideo *moraliter malum* quod sit *otiosum :*

---

[1] Vid. Gonet, *Tr. de Moralitate Act. Humanorum*, Disp. 5. art. i. n. 17 ; Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. 6.
[2] Vid. Gonet, ibid. n. 18 ; Billuart, ibid.
[3] Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, ibid.

2um, verbum dici *otiosum*, non quia ex se sit malum, nec quia in finem malum referatur, sed quia, quum sit ex se indifferens, *non referatur in finem honestum:* atque 3um denique, hanc Christi doctrinam intelligendam esse non solum de verbis, sed etiam de *operibus* seu actionibus quibusvis.

609. Jamvero ex his tribus 1um aperte declaratur in ipsis verbis textus:—"Reddent rationem de eo in die judicii." Illud enim, quod pauci quidam contendebant Scotistae, verba Christi non esse intelligenda de ratione *condemnationis*, sed de ratione, ut aiunt, *discussionis*, plane rejiciendum est; tum (*a*) quia gratis profertur; tum (*b*) quia adversatur obvio sensui verborum Christi, atque judicio fere unanimi Scripturarum interpretum; tum denique (*c*) quia ex contextu plane refellitur, rationem enim doctrinae traditae statim Christus subjungit:—"Ex verbis enim tuis justificaberis, et *ex verbis tuis condemnaberis.*"

610. Deinde 2um suscipiunt rationibus pluribus stabilire. Sic (*a*) proferunt doctrinam SS. Patrum:—"Otiosum verbum," inquit S. Gregorius, "est quod aut utilitate rectitudinis aut ratione justae necessitatis caret"; quo sensu aiunt Thomistae Patres omnes fere reliquos solere otiosum verbum definire. Deinde (*b*) innituntur communi acceptationi hujus vocis, "otiosi;" etenim, ut ait Billuart:[1] "ille dicitur otiosus, non qui facit aliquid mali (sic fur aut homicida non dicitur otiosus): neque qui nihil omnino facit: sed qui non facit quod debet facere et quod conducit ad suum debitum finem. Sic Matt. xx. operarii dicuntur otiosi, non quod nihil omnino agerent (forte enim confabulantur aut ambulabant), sed quia finem suum non exercebant, scil. excolere vineam. Sic quotidie dicimus homines

---

[1] *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. 6.

aut mulieres otiosas, non quod aliquid mali agant, sed quia, posthabitis quae sui sunt muneris, rebus indifferentibus, ut confabulationibus, deambulationibus, et aliis similibus, *neque bonis neque ex se malis*, indulgent. Ergo dicitur otiosum *id cui non apponitur bonus et honestus finis.*"

611. Denique 3um, si qui sint qui illud negent, probatur ex eo quod "si verbum otiosum sit malum, pari et potiore ratione malum est otiosum opus, quum utrobique tempus teratur inutiliter, et jactura otiosae rei sit major quam damnum otiosi verbi."[1] Unde S. Hieronymus[2] ait: "Si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus?"

612. Argumentantur Thomistae 3° ex propositionibus 8^{a} et 9^{a} damnatis ab Innocentio XI. Propositio 8va haec est:—"Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui." Atque 9^{a} est:—"Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali."

613. Jamvero aiunt Thomistae nullam inveniri posse rationem cur propositiones illae damnari debeant, nisi quia illicitum sit agere ob solam voluptatem, seu, aliis verbis, ob delectationem sensibilem. Ergo obligatio quam propugnant, referendi actus in finem honestum, agnoscenda est.

614. Denique 4° in gratiam hujus sententiae argumentantur nonnulli[3] ex verbis Apostoli (1 *Cor.* x. 31)—"Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite."

615. Ex quibus argumentantur hominem teneri suos actus semper in finem honestum referre; quum satis

---

[1] Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 4. art. 6.
[2] *In Psalm.* 16.
[3] Vid. adnotatio P. Ballerini in Gury, Part. i. n. 24.

evidens videatur non ideo dici posse actum "in gloriam Dei fieri," quia fiat ob finem tantum sensibilem. Neque tamen Thomistae docent ad satisfaciendum huic praecepto requiri ut agens *explicite* de Deo cogitet: fatentur enim praecepto satisfieri si actio fiat ob aliquem finem honestum; "quum enim (*a*) opera moraliter bona per se in gloriam Dei tendant, in quantum homines ea videntes Deum glorificant, atque ad similia exercenda excitantur, [ideo, qui talia opera faciat] censetur interpretative velle gloriam Dei, sicuti, qui peccat mortaliter censetur interpretative velle Dei inimicitiam et damnationem aeternam. Deinde (*b*) quum Deus sit fons et origo omnis honestatis, omne opus honestum de se tendit in Deum, sicuti omnia flumina revertuntur ad mare, unde oriuntur. Praeterea (*c*) qui facit opus moraliter bonum, implicite illud facit propter Deum, in quantum illud facit propter conformitatem cum recta ratione; quia illud faciendo propter conformitatem cum recta ratione, implicite facit propter conformitatem cum lege aeterna, ideoque implicite propter Deum, quum lex aeterna sit Deus."[1]

616. ARGUMENTA SCOTISTARUM. Hactenus de argumentis Thomistarum. Ex altera parte suscipiunt Scotistae sententiam suam rationibus pluribus stabilire, praesertim quidem ostendendo argumenta quibus innituntur Thomistae omni prorsus robore carere.

617. Neque censendum est hanc argumentandi rationem ejusmodi tantum esse quam negativam vocant; etenim obligatio de qua hic agitur talis profecto est quam censeri nequeat Deum hominibus imposuisse quin tanto rationum lumine eam manifestaret ut res dilucide constaret, si non omnibus omnino hominibus, saltem iis

[1] Perin, *Tr. de Act. Humanis*, Quaest. 1. art. iv. § 3. Vid. etiam Billuart, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 6. art. 4; Alasia, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 1. cap. 5. art. 1. § 6.

omnibus qui praeconceptis opinionibus atque studio partium sepositis, eam candide investigandam susciperent. Neque enim haec est obligatio quae unum tantum aut alterum hominem hominumve genus respiciat: complectitur enim omnes, atque in omnibus respicit singulos fere actus eorum. Jamvero censeri nequit Deum obligationem hujusmodi imposuisse, nisi id rationibus omnino solidis constet. Ideoque Scotistae, haud sane immerito inferentes perinde esse, quod ad hanc obligationem attinet, non posse demonstrari, atque reipsa non existere, sententiam suam stabilire suscipiunt evertendo argumenta Thomistarum.

618. Itaque ad 1^m^ argumentum Thomistarum duobus modis respondent, 1° negando *majorem*, 2° negando *minorem*. Quibus accedit 3^tius^ respondendi modus, si quis non solum cum Scotistis neget malos esse actus de quibus agitur, sed insuper (n. 604.) cum S. Thoma propugnet eos esse moraliter bonos.

619. *Primo*, quod attinet ad *majorem*, animadvertunt naturam hominis non simplicem esse, sed compositam, quippe quae non solum rationalis seu spiritualis sit, sed etiam corporalis seu animalis. Aliud igitur est (*a*) operari secundum conditionem naturae *humanae*, ad quod quidem hominem teneri demonstrat argumentum Thomistarum, nec quisquam reipsa negat : aliud vero est (*b*) operari secundum conditionem naturae *rationalis ;* ad quod hominem teneri Thomistae minime demonstrant, sed omnino gratis assumunt. "Licet tenear operari ut homo," ait Arriaga,[1] "non teneor [semper] operari *secundum omnia praedicata hominis ;* alioquin, quia homo tam essentialiter dicit corpus quam animam, peccaret homo si appeteret operationem pure spiritualem ; quia non operaretur adequate ut homo. Quum ergo,

[1] *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 21. sect. iv. n. 50. Vid. etiam Laloux, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 9. quaest. 4.

v.g. pellendo frigus, operetur qua homo *inadequate*, attendendo ad bona corporis, et aliunde non apponat malum finem, nullo modo peccat."

620. Fatentur utique Scotistae homini illicitum esse ea facere, quae bono rationali *adversentur*, qualia v.g. sunt omnia quae lege Dei prohibentur. Simul vero contendunt Thomistas omnino autem gratis, et quidem contra rei veritatem, statuere naturae rationali adversari ea omnia quae non positive in finem ei convenientem referantur: sic Mastrius,[1] rem optime illustrans, respondet "rationi dissonum esse quod homo agat contra finem proprium rationalis creaturae, atque ideo tenetur ut nihil unquam velit rationi contrarium, non autem ut semper suas actiones . . in finem honestum positive dirigat: sicut a pari licet homo in finem *supernaturalem* sit ordinatus, non propterea tenetur semper propter illum operari: sed sufficit ut [quoties speciale non urgeat praeceptum eliciendi actum supernaturalem] nunquam operetur aliquid fini supernaturali contrarium."

621. *Secundo*, ut n. 618. dictum est, Scotistae nonnulli negant *minorem*, recensentes fines quosdam qui, etsi omnino spirituales, et ideo rationali hominis naturae omnino conformes, tamen non ideo censeri possunt *honesti* seu *moraliter boni*. Vid. supra, n. 594.

622. Duobus igitur his principiis innixi, Scotistae suscipiunt rationem n. 606. allatam ad argumentum confirmandum diluere.

623. Etenim (*a*) ut ex dictis n. 594. colligi potest, non desunt actus moraliter indifferentes, qui, vel *in specie* spectati, hominibus proprii sint: deinde (*b*) in iis etiam actibus qui secundum speciem hominibus ac brutis communes sunt, homo plane distinguitur a brutis eo quod *humano modo* (n. 23.) operatur: denique (*c*), quod

---

[1] *In Lib.* 2. *Sententiarum*, Disp. 5. quaest. vi. n. 328. Vid. etiam Laloux, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 9. quaest. 4.

vel *ad regulas morum* attinet, ille profecto non agit more brutorum, qui operatur, ut ait Viva,[1] "consulta prius regula morum, et viso quod actus illi non difformetur, . . determinatus non ponere actionem quae appareat prohibita."

624. *Tertio*, ut n. 618. dictum est, ad argumentum Thomistarum potest alio modo responderi, ex principiis S. Thomae. Si enim actus de quibus agitur sunt ex se saltem *liciti*, seu *non mali* (neque enim de actibus ex se malis potest hic esse quaestio), atque deliberate fiunt ob aliquem finem homini, vel secundum corpus, convenientem, non quidem indifferentes sunt, sed ut infra nn. 674-688. videbimus, moraliter boni. Jamvero nemo est qui neget hominem secundum exigentiam et dignitatem naturae humanae, immo et rationalis, agere, quum non tantum non male, sed et moraliter bene, seu honeste, agat.

625. Deinde ad 2um Thomistarum argumentum respondent Scotistae exponendo sensum sermonis Christi.

626. Et quidem 1°, ut supra n. 609. dictum est, sunt qui textum intelligant non de *ratione*, ut aiunt, *condemnationis* sed de *ratione* tantum *discussionis*. Iis vero praetermissis,[2]

627. Alii 2° sunt qui, omnino negantes Christum de verbo *otioso* hic locutum esse, sermonem, cum veteribus quibusdam interpretibus, Euthymio, Theophylacto, S. Chrysostomo, etc., intelligunt de verbo *mendaci* et *calumniatorio*. Cui sententiae favent nonnulli qui inter praecipuos Evangeliorum interpretes haud dubie annumerari debent. Sic v.g. Maldonatus, hunc sensum judicans contextui sermonis multo magis convenire quam ille quem exhibit nostra versio vulgata (quum Christus hic Pharisaeorum calumnias et blasphemias

---

[1] *Tr. de Act. Humanis*, Part. 2. disp. vii. quaest. iii. nn. 6, 8.
[2] Vid. antea, n. 609.

redarguat, potius quam verba tantum otiosa), ideo suspicatus est Hebraicam vocem, a Christo adhibitam, fuisse eam quae Exod. xx. 7. et Deut. v. 20. legitur, atque alterutrum sensum prae se ferre potest, aut *otiosum*, ut interpres Graecus hic atque Exod. xx. 7. eam reddidit,[1] aut *mendax* et *calumniatorium*,[2] ut significatur Deut. v. 20.[3]

628. Deinde 3°, etsi, cum communiore SS. Patrum et interpretum judicio, intelligatur Christum locutum esse de verbo *otioso*, Scotistae omnino negant hunc textum favere doctrinae Thomistarum.

629. Duplici enim modo potest verbum dici otiosum, etiamsi non existat obligatio quam propugnant Thomistae. Etenim otiosa indubie dicenda sunt tum (*a*) verba quae, in se quidem licita, proferuntur tamen sine causa rationabili, adeo ut nulli usui, neque honesto neque sensibili, inserviant; tum (*b*) verba quae ob utilitatem solum sensibilem proferuntur quando urget obligatio prosequendi bonum honestum; neque enim Scotistae negant hominem *aliquando*, et quidem *saepissime*, teneri ob finem honestum agere; negant vero, id quod affirmant Thomistae, obligationem sic agendi *universalem* esse, quae *omnes* omnino actiones hominum complectatur.

630. Textum de verbis priore sensu otiosis exponens, distinguit Arriaga[4] duo genera verborum (et eodem modo, ut patet, distingui possunt duo genera actionum seu operum): alia, ut ait, (*a*) quae ob solam garrulitatem proferuntur, sine ulla utilitate, sive honesta, sive physica: alia (*b*) quae ordinantur ad aliquod naturae bonum, si non honestum, saltem physicum, ut v.g. si quis dicat

[1] "Non assumes nomen Domini Dei tui *in vanum*. Nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit," etc., etc.

[2] "Non loqueris contra proximum tuum *falsum* testimonium."

[3] Vid. Arriaga, *In* 1. 2. *S. Thomae*, Tr. de Act. Humanis, Disp. xxi. nn. 43-44.

[4] *In* 1. 2. *S. Thomae*, Tr. de Act. Humanis, Disp. xxi. n. 46.

famulo, "tempus perfrigidum est, accendas ignem ut me calefaciam." Verbum aut opus hujusmodi, etsi non sit moraliter honestum, tamen non ideo debet dici otiosum: verba vero, aut opera, prioris generis ab omnibus otiosa censentur. Cujus doctrinae rationem egregius idem auctor sic tradit, "quia homo, quum rationalis sit, tenetur operari ob aliquod sui bonum, sive quatenus spiritualis est, sive quatenus est corporalis: ergo si operationes humanae aliquod bonum hujusmodi non habeant [ut v.g. verba quae ex solo animo loquendi proveniunt], eo ipso erunt vitiosae et contra naturam: id quod verum est sive verba sunt, sive alia opera."[1]

631. Eodem sensu plane intelligenda sunt dicta SS. Patrum quae hic citat Mondschein[2]:—"Sic S. Hilario verbum otiosum est 'Dictum *inutile*'; Ven. Bedae, 'Locutio *superflua*'; Tertulliano, 'Dictum *supervacaneum*'; S. Ambrosio, 'Verbum *non fructuosum*'; S. Chrysostomo, 'Quod *rei propositae non convenit*'; S. Hieronymo, 'Quod *sine utilitate* et loquentis et audientis dicitur.' Ubi vides quod juxta hos Patres non solum verba pia, aut omnino necessaria, excusentur ab otiositate, sed etiam quae *utilia* sunt ad fines non inconvenientes et aliunde *non prohibitos*."[3]

632. E contrario Thomistae communius docentes actiones quae ob finem solius physicae commoditatis fiant

---

[1] Arriaga, *In* 1. 2. *S. Thomae*, Tr. de Act. Humanis, Disp. xxi. n. 47.

[2] *Tr. de Act. Humanis*, n. 473.

[3] Audiatur tamen Laymann doctrinam Thomistarum propugnans. "Omnis actio ex objecto indifferens, v.g. festucam humo levare, si deliberate fiat, ob finem aliquem necessario fit: quae relatio ad finem, si recta atque rationi conformis sit, v.g. si festucam tollas ut cubiculi munditiem *corporis atque animae munditiem tibi conciliet*, bona et honesta est talis actio. Sin autem . . ad nullum finem *moraliter bonum* referatur, sed festucam v.g. humo tollis solum *ut imaginationi vel libertatis exercendae appetitui satisfacias*, otiosam ac vanam (quippe fine debito destitutam) actionem exerces . . Et *peccatum* est." (Laymann, Lib. i. tract. ii. cap. 8. n. 3.)

Nec dubium esse potest quin haec, quantumvis mira videantur, necessario profluant ex fundamentali principio Thomistarum atque doctrinam eorum omnino accurate exhibeant.

otiosas esse, et ideo malas, afferre solent exemplum Imperatoris quem omnes parvi pendunt quod legitur diem transegisse capiendo muscas ob solam rei voluptatem. Huic tamen argumento facillime cum Scotistis responderi potest, Imperatorem illum parvi pendi non quia muscas ceperit, etsi id Imperatori satis indignum erat, sed quia in hoc negotio diem transegerit, ideoque, ut ait Mastrius,[1] sic egerit *cum temporis excessu*.

633. Neque enim doctrina Scotistarum de actibus indifferentibus qui ob finem solius physicae commoditatis vel delectationis fiunt, est eo sensu intelligenda quod *semper* a culpa immunes sint, et *nunquam* debeant otiosi censeri, actus qui fiant ob finem aliquem hujusmodi utilitatis aut delectationis ex se non prohibitae. Quemadmodum enim homo, etsi non ideo dicitur otiosus *quia a labore cesset* ad se recreandum, tamen otiosus dicitur *si cesset quum laborare oporteat*, ita actiones humanae, quae ob solam delectationem sensibilem fiunt, otiosae censendae sunt quum ita fiunt, *praetermisso aliquo fine nobiliore*, si qui esset, *tunc assequendo*.

634. Nam quaestio, ut supra vidimus,[2] non est an *semper* liceat homini agere ob finem pure sensibilem, sed an liceat *unquam* ita agere. Sic v. g. ait Mastrius, etsi "homo, *ut plurimum*, propter naturae suae conditionem et dignitatem non nisi digna et laudabilia operari debet; quum tamen aliunde ejus natura fragilis sit et imbecillis, ut ait S. Bonaventura, non est contra ejus conditionem quod *interdum* exeat in aliquod opus, si non laude, nec etiam vituperio, dignum":[3] atque ut ait Arriaga, argumentum n. 632. traditum solvens, "admiror illud argumentum; ejus enim auctores puta-

---

[1] Vid. Struggl. *Theol. Universa*, Part. I. tract. iv. disp. iv. n. 14; A. Mayr, *Tract. de Act. Humanis*, Disp. i. quaest. iii. nn. 208. et seq.; Viva, *De Act. Humanis*, Disp. 7. quaest. iii. n. 8.

[2] Vid. supra, n. 629.

[3] Mastrius, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 5. quaest. vi. n. 327.

verunt, ex eo quod Vasquez et alii doceant fricare barbam esse indifferentem actionem, sequi hominem posse longum tempus transigere nihil aliud faciendo quam fricando barbam seu solum operando indifferenter. Dico ergo esse eas actiones *raras*, et praeter illas occurrere *passim* alias non indifferentes, in quibus homo debet vel bene vel male operari."[1]

635. Denique 4°, sicut de priore Thomistarum argumento (n. 624.) vidimus, ex principiis S. Thomae responderi potest verba et opera de quibus agitur, quum saltem *licite* fiant ob finem homini vel secundum corpus convenientem, non modo *non mala* esse sed et moraliter *bona*, ut constabit ex infra nn. 674-688. exponendis.

636. Ad 3^m^ argumentum, ex propositionibus damnatis desumptum, Scotistae multiplici modo respondent.

637. Et quidem 1°, quod attinet ad propositionem 8^vam^, non desunt qui innuant eam damnatam fuisse, non propter clausulam priorem, quae docet licitum esse comedere et bibere ob solam voluptatem, sed propter alteram clausulam, quae ad priorem stabiliendam falsissimum istud principium profert, quod "licite potest appetitus naturalis suis actibus *frui*."

638. Quam clausulam Cardenas[2] sic exponit :—" Praemitto primo discrimen quod intercedit inter haec duo verba *frui* et *uti*. Dicimur enim *frui*, respectu *finis* intenti : . . dicimur autem *uti*, respectu *medii* quod adhibemus ad finem consequendum. Et ita Seneca, agens cum quodam discipulo Epicuri, ait :—'Tu voluptate frueris, ego utor' : id est, tu intendis voluptatem tanquam finem, ego autem voluptatem eligo tanquam medium ad consequendum aliquem finem honestum. Hinc fit eam propositionem, 'Licite potest appetitus naturalis suis actibus *frui*,' accipiendam esse in hoc

---

[1] Arriaga, *Tr. de Act. Humanis*, Disp. 21. sect. iv. n. 40.
[2] *Crisis Theologica*, Diss. 7. cap. 1. nn. 37-40.

sensu, nempe, 'Licite potest appetitus naturalis gaudere de delectatione procedente ex suis actibus, tanquam *de fine obtento*.'

639. "Praemitto secundo, hanc propositionem, 'Licite potest appetitus naturalis suis actibus frui,' esse propositionem *universalem*. Patet. Nam propositio damnata assumit eam rationem tanquam illativam alterius propositionis, 'Licitum est comedere et bibere usque ad satietatem propter solam voluptatem.' Si autem ea prior propositio, 'Licite potest appetitus etc.,' esset particularis, esset evidenter inepta ad inferendam hanc secundam. Nam ex particulari affirmata non infertur singularis . . . Itaque sic intelligenda est: '*Omnis appetitus naturalis* licite potest in suis actibus delectari sistendo in delectatione eorum.'"

640. Falsissimam igitur esse istius clausulae doctrinam nemo est quin videat: nam si vera esset, licitae essent ebrietas, libido effrenata, et alia quaevis peccata in quae hominis natura lapsa suo pondere fertur.[1]

641. Ex his patet argumentum Thomistarum ex damnatis his propositionibus desumptum omni prorsus robore carere. Propositiones enim eae causales sunt, quae quidem merito damnari potuerunt, etsi verissima esset doctrina clausulae prioris, si falsa esset ea quae in altera clausula traditur ut ratio prioris. Itaque, ut rem illustrat A. Mayr,[2] quemadmodum haec propositio, "Christus est in Eucharistia; quia est ubique," damnari potest, et quidem ut haeretica, non propter priorem clausulam, quae enuntiat dogma fidei Catholicae, sed propter rationem adjectam,[3] ita propter falsam doctrinam

---

[1] Vid. Viva, *Damnat. Thes. Theol. Trutina*, In prop. 8 et 9 ab Innocentio XI. damnatas, n. 13.

[2] *De Actibus Humanis*, Disp. I. quaest. iii. n. 200.

[3] Est error Ubiquistarum, qui, negantes doctrinam Transsubstantiationis, docebant corpus Christi in Eucharistia esse eo modo quo ubique est divinitas; existimabant enim humanitatem Christi per unionem hypostaticam ubique esse, sicut divinitas per immensitatem ubique est.

posterioris clausulae damnari potuit propositio de qua hic agitur, sive vera sive falsa est doctrina clausulae prioris.[1]

642. At 2°, etsi cum communi sententia TT. agnoscatur propositionem damnatam esse propter doctrinam prioris, haud minus quam alterius, clausulae, tamen minime sequitur damnatam esse sententiam Scotistarum quatenus propugnet actum posse in individuo esse indifferentem. Quod plane demonstrant AA. qui in damnatis propositionibus exponendis laudem prae ceteris meruerunt, neque ii solum qui Scotistarum, sed etiam ii qui Thomistarum, sententiam de actibus indifferentibus ipsi amplexi sunt.[2]

643. Nec potest in dubium revocari : nam vel in priore clausula proferuntur duo quae a Scotistis, haud minus quam a Thomistis, reprobantur. Etenim in ea sermo est (*a*) de iis qui ob sensibilem delectationem *comedant* et *bibant;* et (*b*) de iis qui comedant et bibant *usque ad satietatem.*

644. Jamvero (*a*) ex eo quod licitum sit, ut docent Scotistae, in *aliquibus* actibus agere ob solam delectationem sensibilem, minime sequitur id licitum esse in actibus *comedendi et bibendi.* Et quidem Scotistae fere omnes sententiam suam ita exponunt ut non sit de his actibus intelligenda.

645. Cujus doctrinae rationes duas tradunt. "Si etiam concedatur," docet A. Mayr,[3] "juxta communem Theologorum sententiam (ut ait Viva[4]), non esse licitum

---

[1] Hic, etsi verissimam, praetermitto, quippe quae ad rem de qua hic agitur non spectet, doctrinam logicorum, qua docent falsam esse propositionem *causalem*, etiamsi verae sint *duae* clausulae quibus constet, dummodo id quod in altera clausula tradatur non sit reipsa *ratio* prioris. Vid. v.g. Jennings, *Logica*, Diss. 2. cap. iii. art. 3; Tongiorgi, *Logica*, n. 169.

[2] Vid. v.g. Viva, *Damnat. Thes. Theol. Trutina*, In Prop. 8 et 9 ab Innocent. XI. damnatas; Cardenas, *Crisis Theologica*, Diss. 7.

[3] *Tract. de Actibus Humanis*, Disp. 1. quaest. iii. n. 202.

[4] *Damnat. Thes. Theol. Trutina*, Ibid. n. 6.

. . bibere vel comedere ob solam voluptatem . . non sequitur impossibilitas actus indifferentis in individuo; nam quamvis voluptas comedendi (et consequenter multo magis voluptas actus conjugalis) non sit intendibilis propter se sine peccato, potest tamen esse intendibilis alia voluptas."

646. Rationem primam sic tradit. "Quamvis dicatur homo, utpote rationalis, teneri ulterius ordinare *voluptatem quae est ipsi communis cum belluis*, tamen non sequitur quod teneatur sub peccato ulterius ordinare etiam *alias voluptates sibi proprias*, v.g. audire musicam, olfacere florem, vel lustrare bibliothecam, aut tubo optico uti ad videnda longinqua, ludo non malo moderate ludere, etc."

647. Deinde alteram tradit rationem. "Quia hujusmodi voluptates [jam recensitae] ad hoc ipsum a natura institutae sunt ut animus humanus relaxetur: at non ita voluptas ciborum aut venereorum; quia prima ideo addita est cibo et potui ut homo facilius iis uteretur, ad sustentandum proprium individuum; altera vero a natura addita est ut homo subiret onera matrimonii, quae sunt valde gravia, et sic propagaretur vel conservaretur species humana . . Quare qui his voluptatibus fruitur propter se ipsas, et non tantum utitur in ordine ad fines a natura intentos, invertit ordinem naturae et peccat."

648. De hac tamen secunda ratione, etsi Scotistae eam communiter tradunt, merito, ut videtur, dubitari potest an reipsa concedi debeat ideo illicitum esse agere ob delectationem in hujusmodi actibus, quod delectatio ob rationem allatam iis annexa est. Omnino quidem ex dictis constat illicitum esse hos actus perficere ob sensibilem delectationem *ut finem positive*[1] *ultimum:* id

---

[1] Vid. antea, n. 479.

tamen licere nemo Scotistarum affirmat; quaestio tantum est an liceat delectationem proponere ut finem, dummodo *finis ulterior non excludatur;* et quidem, ut animadvertit Laloux,[1] "potius concludendum esset illum plane consilio Dei se conformare qui se sinit delectatione allici, moveri, qui illam sibi proponit saltem ut finem proximum." "Et vero," ut idem statim subjungit, "quo tendeat adversariorum argumentatio ipsi videant. Si ideo non licet absque ulteriore fine delectationi sistere, quia per eam providus Deus voluit hominem ad agendum excitare, ergo peccabit qui intuitu solius mercedis aeternae aut poenarum metu operabitur . . atque causam habent Janseniani qui reprobant amorem pure mercenarium,[2] et metum, ut dicitur, servilem."[3]

649. Insuper (*b*) respondent nonnulli Scotistae[4] propositionem 8am loqui de iis qui "comedant et bibant

---

[1] *Tract. de Act. Humanis.* Diss. 9. quaest. 4.

[2] Vid. *Con. Trid.*, Sess. vi., *De Justificatione*, cap. 11. et cap. 31.

[3] "Juxta S. Thomam, In 2. 2. Quaest. 19. art. 2., [triplex] est genus timoris quo homo aliquomodo ad Deum convertitur.

"Primus . . . dicitur timor *servilis*, quando nempe propter *poenam* vitatur et odio habetur culpa.

"Secundus . . dicitur timor *filialis*, quando nempe vitatur aut odio habetur culpa propter rationem *offensae;* nam 'filiorum est timere offensam patris,' ut ait D. Thomas loc. cit.

"Tertius . . dicitur timor *initialis*, quando nempe quis vitat et odio habet peccatum, *partim* ne incurrat culpam, *partim* ne incurrat poenam.

"Porro timor *servilis* adhuc subdividitur in *formaliter* [seu *serviliter*] servilis, et *materialiter* [seu *simpliciter*] servilis.

"*Prior* . . est quo quis timet poenam tanquam malum principale, ita ut non amet justitiam, sed solum timeat poenam; ideoque talis timor *habet annexam voluntatem peccandi conditionatam*, si nempe non esset poena. *Posterior* vero . . est quo quis ita timet poenam ut simul aliquomodo amet justitiam et detestetur culpam, unde iste timor *non includit voluntatem conditionatam peccandi*, sed ab ea praescindit, aut eandem excludit." Struggl, *Theol. Universa*, Part. 2. tract. xi. disp. 1. quaest. iii. art. 2. n. 1.

Jamvero *servilis* timor, quem, contradicentibus Jansenistis et aliis, fides Catholica docet esse bonum et salutarem (vid. antea, n. 342; et *Con. Trid.* Sess. xiv. *De Poenitentia*, Cap. 4.), est timor *materialiter* tantum, seu *simpliciter*, servilem, non quidem timor *formaliter*, seu *serviliter*, servilis, qui, ut ex dictis patet, utique peccaminosus est.

[4] Sic v.g. A. Mayr, *Tract. de Act. Humanis*, n. 201; Mondschein, *Tract. de Act. Humanis*, n. 474.

usque ad *satietatem*" : in quo quidem animadvertunt esse duo vitia, ob quae propositio damnari potuerit.

650. Etenim (*a*) haec propositio affirmat esse licitum "*usque ad satietatem*" *comedere*. Jamvero "*satietas*," ut ait Lacroix,[1] "potest duo significare: vel comestionem talem qua satisfiat fami; vel talem quae fiat in majore quantitate quam requirit sustentatio naturae," quae quidem nimia sit, atque non solum *satietas*, sed et *saturitas*, dici solet. Hoc altero quidem sensu damnatam propositionem intelligunt nonnulli quos refert Mondschein;[2] "multi existimant," ait, "solum damnatum esse, quod liceat edere . . usque ad satietatem, id est, quamdiu sapit cibus . . , aut *donec incipiat nausea*, quod utique nimium."[3] Atque negari non potest propositionem, ut eo modo vagam saltem et ambiguam, potuisse ideo omnino merito damnari.

651. Denique (*b*) quod attinet ad alteram ejusdem clausulae partem, "licitum est usque ad satietatem *bibere*," quocunque sensu intelligatur vox satietas, sive sensu jam exposito, de excessu qui ad saturitatem pertingat, sive, sensu mitiore, de eo tantum quod satis est vel ad sitim seu appetitum potus sedandum, omnino evidens est propositionem in hac saltem parte esse falsam; profecto enim si liceret ad satietatem, vel

---

[1] Lib. 5. *De Peccatis*, n. 301.

[2] Ibid. n. 474.

[3] In lexicis vox *satietas* sic exponitur:—"SATIETAS . . *The state of being glutted or sated; a loathing, disgust, satiety.* 'Cibi *satietas* et fastidium' (Cicero, *De Invent.*, 1. 17. 25): 'prandebat [Domitianus] ad *satietatem*' (Suetonius, *Domit.*, 21): 'hippopotamus assidua *satietate* obesus exit in litus' (Plinius, 8. 26. 40)." Vid. v.g. Facciolati, *Latinitatis Lexicon;* White and Riddle's *Latin-English Dictionary*, etc., etc., in voc.

Porro vocis etymon ejusdem est ac verbi *satiare* [*to satiate, to saturate, to glut*], ex quo v.g. habemus, "Vosque canes *satiatae* sanguine herili" (Ovid., *Met.*, 3. 140): "vultur *satiatus* humano cadavere" (Plin. 30. 10. 27.): "quorum crudelitas nondum est nostra calamitate *satiata*" (Seneca. *Ag.* 519): "heu nimis longo *satiate* ludo" (Hor., *Od.*, 1. 2. 37): etc., etc.

mitiore sensu intellectam, *bibere*, ebrietas omnino e peccatorum numero delenda esset.

652. De 4° denique argumento (n. 614), ex verbis Apostoli, I. Cor. x. 31. desumpto, plura notanda sunt.

653. Et quidem (*a*) quaestio esse potest utrum haec verba praeceptum enuntient, an tantum consilium. S. Thomas[1] utique de iis dicit : "Quidam dicunt quod hoc est consilium ; sed hoc non est verum." At S. Bonaventura[2] non minus diserte textum interpretatur ut consilium.

654. Deinde (*b*) si quis auctoritate S. Thomae innixus praeceptum in his verbis contineri agnoscit, etiam praecepti explicationem ab eodem S. Doctore sumere debet. Neque enim, ut animadvertit Ballerini,[3] probari potest quorundam agendi modus, qui, disparatas S. Thomae et S. Bonaventurae interpretationes in unum permiscentes, hinc quidem verba Apostoli cum S. Thoma ad praeceptum revocant, inde vero praecepti hujus rationem in eo collocant quod S. Bonaventura tradebat tantum ut *consilium* neque exigebat nisi ad rationem *meriti*, atque rem ita adducunt ut vix inveniri quispiam possit qui, ob omissam hanc operum relationem in Deum, multiplici se reatu quotidie et passim non inquinet, uti reipsa (et sane cohaerenter) conclusit Gazzaniga.[4]

655. Atque (*c*) ex iis quae S. Alphonsus in initio Tractatus *de Actibus Humanis*[5] scripsit, "non recedendum puto a sana Doctoris Angelici doctrina ubi haberi potest, ipso enim duce in rebus theologicis inoffenso pede ambulatur," cavendum est ne censeatur S. Alphonsum in hoc praecepto exponendo sententiam Angelici Doctoris reipsa exhibere. Etenim ille textum Apostoli interpretari

---

[1] *In Coloss.* Cap. 3. Lect. 3.
[2] *In* 2. *Sent.* Dist. 41. art. i. quaest. 3.
[3] Vid. Gury, Part i. n. 30. *nota.*
[4] Ita Ballerini, ibid.
S. Alphonsus, Lib. 2. *Tr. de Act. Humanis*, (in initio).

videtur de praecepto referendi actus in Deum saltem semel singulis diebus :[1] longe tamen aliter, ut videbimus, rem exponit S. Thomas.

656. Itaque (*d*), ut rite exponatur sententia Angelici Doctoris, exscribenda sunt ejus verba, in quibus, ut animadvertunt Ballerini et Gury,[2] haec duo plane docet: 1° textum Apostoli enuntiare praeceptum omnes actus saltem *virtualiter* in Deum referendi ; 2° praeceptum illud non differre a praecepto charitatis, et ideo *non* obligare ad actus *quotidie* intentione *actuali* referendos, immo *neque saepius quam urgeat praeceptum cliciendi actum charitatis.*[3]

657. En igitur verba Angelici Doctoris. "Sub praecepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde ; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum ; et ideo praeceptum charitatis implere homo non potest nisi etiam omnia referantur in Deum."[4] "*Virtualiter*

---

[1] S. Alphonsus quidem haec habet:—"*Oportet* saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos." (Lib. 2. *Tr. de Act. Humanis*, n. 44.)

Ex quibus theologi e Ven. Congregatione SS. Redemptoris, qui adversus adnotationes P. Ballerini *Vindicias Alphonsianas* scripserunt animadvertunt S. Alphonsum non id ad quod *tenemur*, sed mere id quod *expediat* et *congruum* sit, significare voluisse.

E contrario animadvertit Ballerini (In Gury, Part i. n. 30) hunc modum interpretandi S. Doctoris verba valde difficilem esse et nimis a verisimili alienum. "Esto," ait, "vocem *oportere* interdum sumi pro eo quod mere utile et congruum sit. At non ita in re praesenti. Hic enim expresse sermo est de *praecepto implendo*, id est de obligatione quam praeceptum necessario imponit, et quam praestare necesse est ut praecepto satisfiat. Vox itaque *oportet* hic necessario significat necessitatem quam obligatio imponit.

"Nec mirum est hanc vocem pro diversa quaestionis materia diversum habere sensum. Ita si dicas *oportere* ut quotidie audiatur missa, et singulis octiduis aut saltem mensibus S. Eucharistia accipiatur, optime dictum id erit si sermo sit de pietate fovenda, etc. ; male vero, si sermo sit *de implendis Ecclesiae praeceptis*, quae Missam *diebus festis* audiendam, et S. Eucharistiam *tempore paschali* sumendam praecipiunt." Hactenus Ballerini.

Verba S. Alphonsi sunt: "*Oportet* saepius in die, *saltem mane*, generaliter offerre Deo omnes actus suos, *ut sic adimpleatur praeceptum Apostoli* saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei."

[2] Vid. Gury, Part. i. n. 31.

[3] Vid. AA. in Tractatu *de Charitate;* v.g. Gury, Part. i. n. 218.

[4] In 1, 2. Quaest. 100. art. 10. ad 2.

referre omnia in Deum cadit sub praeceptum charitatis, quum hoc nihil aliud sit quam *habere Deum finem ultimum.*"[1]

658. "Nec tamen oportet quod intentio *actualis* ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni quae dirigitur in aliquem finem proximum; sed sufficit quod *aliquando* actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis cogitat *se totum ad Dei dilectionem dirigere:* tunc enim quidquid ad se ordinet, ad Deum ordinatum erit.

659. "Et si quaeratur, *quando* oporteat actum referre in finem ultimum, hoc *nihil aliud* est, *quam quaerere,* quando oporteat *habitum charitatis exire in actum;* quia *quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum,* et per consequens [in finem ultimum fit ordinatio] omnium eorum quae in ipsum ordinatur ut bona sibi."[2]

660. His igitur praemissis, exponenda sunt ea quae, ad solvendum argumentum n. 614. traditum, hic proferunt Scotistae.

661. Et quidem 1°, ut ex dictis n. 653. colligi potest, nonnulli omnino negant praeceptum in verbis Apostoli tradi. Qui, cum S. Bonaventura,[3] sententiam suam sic explicant: "*Admonet* quidem Apostolus . . . quod quodlibet opus nostrum referamus in Deum." Praeceptum vero esse ut omnes actus fiant ex ejusmodi intentione, sive actuali sive virtuali, omnino negant.

662. Neque, rem sic exponentes, nituntur sola auctoritate; insuper enim argumentantes Thomistarum doctrinam in ipsos retorquent. "Si adversarii velint, ait Laloux,[4] "ex his verbis adstruere obligationem omnes

---

[1] *Quaest. de Virtutibus,* Quaest. 2. art. 11. ad 3.
[2] In 2. Dist. 40. quaest. 1. art. 5. ad 6.
[3] In Dist. 41. art. 1. quaest. 2. 3. ad 1.
[4] *Tr. de Act. Humanis,* Diss. 9. quaest. ix. § 2.

et singulos actus peragendi impulsu relationis actualis aut virtualis, contendimus huic minime satisfieri per illam relationem Thomistarum [vid. supra, n. 615.], quae nec Christianae, nec vere et proprie dictae, relationis nomen meretur. Dicant requiri relationem *explicitam* . . non carebit haec assertio aliqua verisimilitudine, et examinandum supererit quale fundamentum in Scriptura habeat : sed systema quod adinvenerunt parum sibi consentiens esse videtur; non extollunt siquidem obligationem hic ab Apostolo impositam, nisi ut postea illam deprimant, et ad nihilum reducant."[1]

663. Deinde 2° respondent, etiamsi verba citata enuntiarent praeceptum, et quidem ejusmodi quod obligaret ad semper agendum ex intentione, sive actuali sive virtuali, de qua sermo est, non ideo sequeretur sententiam Scotistarum esse deserendam. Etenim, ut argumentatur auctor[2] jam citatus, "concedamus satisfieri posse obligationi [referendi actus *in gloriam Dei*], quam in Apostoli textu inveniunt, per *amorem honestatis*, et per intentionem quae simpliciter pro objecto habet *honestatem* rei,[3] necesse erit ut et ipsi nobis concedant satisfieri posse per intentionem quae pro objecto habet *commoditatem* aut *voluptatem* moderatam, quum Deus

---

[1] "Il y a ici trois partis opposés.

"Les defenseurs (*a*) de la relation explicite : *Facite omnia* (donc, *précepte ;* précepte *affirmatif ;* précepte *universel.*) *In gloriam* (donc *relation explicite.*) Donc, on ne satisfait au dit précepte que par une relation explicite. Voilà le sens le plus complet.

"Mais, Thomistes et Scotistes, nous convenons que la doctrine en serait trop rigoureuse ; nous y apportons des tempéraments.

"Les Thomistes (*b*) respectent le *facite omnia*, mais ils torturent l'*in gloriam*. Les Scotistes (*c*) respectent l'*in gloriam*, et adoucissent le *facite omnia*.

"Quel est le plus plausible de ces deux tempéraments ? Moi, Scotiste, je dis que c'est le mien. Le *facite omnia* se prete bien mieux à mon idée, que l'*in gloriam* aux exigences des Thomistes." Laloux, *Tr. de Act. Humanis*, Diss. 9. quaest. 4. II. 1°.

[2] Laloux, ibid.

[3] Vid. antea, n. 615.

non minus sit fons omnis voluptatis, quam fons est omnis honestatis.

664. "Neque enim nos excusare volumus eum qui jucunditatem aut commodum *positive* haberet *pro fine ultimo*, sed eum tantum qui *negative*. Sed ne etiam excusandus foret qui *honestatem* pro fine *positive* ultimo sibi proponeret, Deum Deique gloriam excludendo: ad istud attendant adversarii; indeclinabilis nobis videtur paritas."

665. Denique 3° responderi potest, atque, ut videtur, ab omnibus, sive Scotistarum sive Thomistarum propugnant sententiam, responderi debet, quidquid dicendum sit de obligatione quam propugnant Thomistae, textum citatum saltem non valere ad eam stabiliendam; etsi enim textus intelligatur ut praeceptum, tamen non est cur sumatur sensu diverso ab eo, nn. 656-659. exposito, quem tradit S. Thomas, qui tamen sensus si servetur, patet hunc textum omnino abs re hic adduci.

666. Quum enim obligatio de qua loquitur Apostolus, interpretante Angelico ipso Doctore, sit obligatio charitatis, quae certo certius non exigit ut actus, quo fit hujusmodi relatio, saltem saepius quam semel in mense eliciatur,[2] ideo constat illam actuum relationem omnino diversam esse ab ea quam hic propugnant Thomistae.

667. Etsi enim doceat S. Thomas relationem quae fit per actum charitatis *virtute*[3] permanere quamdiu non retractetur per peccatum mortale, haec *virtus* plane non est eodem sensu intelligenda quo Thomistae docent actus omnes deliberatos debere fieri ex intentione saltem

---

[1] Vid. Ballerini, in Gury, Part. 1. n. 24. quaer. 1°. resp. 2° *nota*.

[2] Vid. AA. in Tractatu *de Charitate*, v.g. Gury, Part. i. n. 218.

[3] Vid. Gury, Part. 1. n. 35. Nonnunquam S. Doctor eodem sensu usus est voce *habitualiter*, ut v.g. in Quaest. 2. *De Malo*, art. 5. ob. 10. (quae verba apud Gury, ibid. n. 37. Quaer. 7°, in adnotatione (*b*) P. Ballerini exscripta sunt.)

De vocibus *virtualis* et *habitualis*, vid. antea, n. 68. *in fine*.

virtuali agendi ob finem honestum. Quod satis quidem constat ex antea (n. 68.) expositis de intentione *virtuali.* Etenim patet relationem, ut eo sensu *virtualis* permaneat, debere saepius renovari ; adeo quidem ut vix, aut ne vix quidem, censeri possit sufficere si eliciatur tantum semel singulis diebus.

668. Nam (ut utar modo loquendi a Thomistis insignioribus, ut v.g. a Billuart,[1] in exponenda natura intentionis virtualis, adhibito), si quis, postquam mane, dum orabat, suos actus per diem perficiendos Deo obtulit, deinde quum prandium sumit, aut deambulat, interrogetur cur haec faciat, quis est qui censeat, ob praeteritam illam oblationem mane factam, posse vere responderi "haec facio ex intentione propter Deum agendi, hoc mane elicita." ?

669. "Quo loco non est omittendum (quod prudenter monet S. Bonaventura),[2] ut opus *virtute* referri in Deum dicatur, non sufficere si quis ad initium anni, vel mensis, vel etiam diei, generali quadam intentione referat *omnia* sua futura opera in Deum ; sed necesse est ut in Deum referatur *illud ipsum* opus quod postea faciendum est. Tunc enim dicuntur opera *virtute* in Deum relata quum *intentio praecedens* est *vera causa operum quae postea fiunt,* ut si quis apud se certo constituat aliquam nummorum summam propter Deum pauperibus erogare, et postea summam illam oblata occasione eroget, is dicetur *virtute* referre opus suum in Deum, etiamsi, dum pecunias illas distribuit, nihil de Deo cogitat."[3]

670. Neque S. Thomas docere voluit relationem quae fiat per actus charitatis, intervallis omnino longioribus repetitos, *virtute* permanere eo sensu (*a*) quod actus alioquin *non moraliter boni* qui deinde perficiantur, ita

---

[1] Vid. antea, n. 81. *in fine.*
[2] *In* 2. *Sent.*, Dist. 41. art. i. quaest. 5.
[3] Bellarminus, *De Justificatione,* Lib. 5. cap. 15.

per hujusmodi charitatis actus in Deum referantur, ut ex hac relatione *moraliter boni efficiantur*, sed eo tantum sensu (*b*) quod actus omnes *alioquin moraliter boni*, qui sic perficiantur, saltem[1] si conditionibus quibusdam sint vestiti, efficiantur *meritorii* praemii *supernaturalis.*

671. Ex altera vero parte haud minus constat eam charitatis relationem, de qua textum interpretatur S. Thomas, non esse necessariam ut actus sint a culpa immunes; alioquin enim plane dicendum esset infideles et peccatores, quum charitate careant, in omnibus suis operibus peccare.[2]

672. Quum ergo relatio de qua, interprete Doctore Angelico, loquatur Apostolus neque sufficiat, neque requiratur, ut actus, alioquin indifferentes, moraliter boni efficiantur, plane sequitur hunc textum, etiamsi praeceptum enuntiet, tamen omnino abs re hic adduci, ubi agitur non de supernaturali merito actuum alioquin moraliter

---

[1] Notandum quidem est haud facile esse, theologis ejus verba interpretantibus sensibus toto coelo diversis, genuinam S. Thomae mentem assequi de influxu charitatis in *meritum* bonorum operum quae fiant quamdiu agens, post actum charitatis elicitum, in statu gratiae maneat. Quae omnia fuse exponit Mazzella, *Tr. de Virtutibus Infusis*, a n. 1324 usque ad n. 1352, praesertim vero n. 1335, et nn. 1348-1351.

Secundum TT. haud paucos docet S. Thomas meritorios in ordine supernaturali esse omnes omnino actus moraliter bonos qui ab homine justo fiant postquam actum charitatis elicuerit (vid. v.g. Gury, Part. i. n. 32. quaer. 6º, 7º, 8º; et adnotationes P. Ballerini ibidem adjectae); secundum alios vero S. Doctor insuper exigit conditiones quasdam, de quibus vid. Mazzella *Tr. de Virtutibus Infusis*, nn. 1324-1352.

Alia vero est sententia S. Bonaventurae, qui docet, non solum ut opus alioquin indifferens fiat moraliter bonum, sed etiam ut opus alioquin moraliter bonum, vel in homine charitatem habente, meritorium fiat in ordine supernaturali, renovari debere relationem, seu ordinationem, si non ad singula opera, *saltem ad singulas operum series* (vid. Gury, Part. i. n. 35.) "Si opus," ait S. Bonaventura (In 2 Sent. Dist. 41. art. i. quaest. 3. ad 6), "alterius generis inciperet, oporteret ut intentio renovaretur, ut opus esset meritorium."

Sed de his, ac de aliis quae ad meritum spectant, vid. AA. in Tractatu *de Gratia*, ut v.g. Murray, *Tr. de Gratia*, Disp. 12, et auctores quos ibidem, praesertim nn. 114-116., citat.

[2] Vid. primam P. Ballerini adnotationem in Gury, Part. i. n. 32. quaer. 5º.

bonorum, sed de morali bonitate actuum alioquin indifferentium.

673. Praetermisso igitur textu 1 Cor. x. 31, solvenda est controversia haec theologorum ex aliis argumentis supra (nn. 606-613. et nn. 616-651.) expositis, quae quidem, ni fallor, si quis, studio partium ac praeconceptis opinionibus depositis, perpendat, vix fieri potest quin, quod attinet ad obligationem referendi actus in finem ulteriorem, ut moraliter boni fiant, sententiam Scotistarum, saltem ut longe probabiliorem, amplectatur.

674. Haec quidem de controversia hac celeberrima, quod attinet ad argumenta quae a TT. unius vel alterius scholae proferri solent. Restat vero ut quaedam subjungamus de doctrina ipsius S. Thomae, ex quibus, ni fallor, videbitur non solam (*a*) auctoritatem ejus a Thomistis, praesertim recentioribus, immerito invocari ad stabiliendam necessitatem relationis quam propugnant, atque ad confirmandam doctrinam qua ut otiosa, et ideo ut peccata, damnant ea opera quae sine istiusmodi relatione fiant, sed etiam (*b*) videbitur Angelicum ipsum Doctorem ulterius, ut ita dicam, quam Scotistae hic progredi, quum non solum *neget* moraliter *malos* esse actus qui ita fiant, sed e contrario doceat eos, nisi aliunde vitientur, moraliter *bonos* esse, immo, si ab homine justo fiant, meritorios esse praemii supernaturalis.

675. En igitur ipsius D. Thomae verba, ex quibus patet S. Doctorem haec quatuor docuisse: 1° opera quaevis quae ab homine fiant, v.g. loquendi, comedendi, bibendi, ludendi, se recreandi, etc., etc., vel esse ex se *licita*, quum servent medium justum, vel *illicita*, quum per excessum aut per defectum a medio recedant: 2° prioris generis opera, quoties fiant deliberate, non solum *licita* esse, tanquam *non mala* (et tantum *indifferentia*, ut statuunt Scotistae), sed etiam esse *moraliter*

bona, ut opera virtutis, quoniam medium servent; "virtus" enim, omnibus fatentibus, "*in medio*[1] consistit:" ideoque 3° *moraliter bona* esse non solum opera ea quae, ut exigunt Thomistae, in Deum *referantur*, sed etiam ea (de quibus solis, ut patet, potest hic esse quaestio) quae, quum non sint ex se peccata, sunt in Deum *referibilia:* denique 4°, haec omnia opera, quoties fiant deliberate ab homine justo, non solum *moraliter bona* esse, sed etiam *meritoria praemii supernaturalis.*

676. Quae quidem doctrinae capita Angelicus sic tradit:—

677. De verbis. "Gregorius dicit, 'Otiosum verbum est quod aut *utilitate rectitudinis*, aut ratione *justae necessitatis* aut *piae utilitatis* caret' . . . Est malum, quia de eo reddent homines rationem in die judicii . . *Si autem non caret* ratione justae necessitatis aut piae utilitatis *est bonum.* Ergo omne verbum aut est bonum aut malum."[2]

678. De iisdem. "Secundum Gregorium, otiosum est quod caret intentione piae voluntatis, aut justae necessitatis; unde non omne verbum jocosum est otiosum si ad *recreationem* referatur: quia etiam in *jocis* contingit

---

[1] "Virtus ordinat hominem ad bonum . . . Bonum autem cujuslibet mensurati et regulati consistit in hoc quod conformetur suae regulae. . . Malum autem per consequens in hujusmodi est per hoc quod aliquid discordat a sua regula vel mensura; quod quidem contingit vel per hoc quod *superexcedit* mensuram, vel per hoc quod *deficit* ab ea, sicut manifeste apparet in omnibus regulatis et mensuratis.

"Et ideo patet quod bonum virtutis moralis consistit in adaequatione ad mensuram rationis. Manifestum est autem quod inter excessum et defectum *medium* est aequalitas sive conformitas.

"Unde manifeste apparet quod virtus moralis in *medio* consistit." S. Thomas. *Summa*, 1. 2. quaest. 64. art. 1.

Ibidem et alibi S. Doctor hanc doctrinam exemplis omnium fere virtutum illustrat: sic *fortitudinem* tradit ut medium inter *audaciam* (quae ab ea per *excessum* recedit) et *timiditatem* (quae recedit e contrario per *defectum*): eodem modo *liberalitatem* tradit ut medium inter *prodigalitatem* et *avaritiam*; *affabilitatem* ut medium inter *assentationem* et *asperitatem*, etc., etc. De quibus omnibus vid. De Aguirre, *Philosophia Moralis*, Lib. 2. cap. 7.

[2] *Summa*, 1. 2. quaest. 18. art. 9. in corp.

esse *virtutem, Eutrapeliam,*[1] de qua Philosophus in 4, Ethic. (cap. 86.) determinat."

679. De verbis vel factis ludicris et jocosis. "In collationibus Patrum legitur quod B. Joannes Evangelista, quum quidam scandalizarentur quod eum cum discipulis suis ludentem invenirent, dicitur mandasse uni eorum, qui arcum gerebat, ut sagittam traheret. Quod quum pluries fecisset, quaesivit, utrum hoc continue facere posset: qui respondit, quod si hoc continue faceret, arcus frangeretur. Unde Beatus Joannes subintulit, quod similiter animus hominis frangeretur, si nunquam sua intensione relaxaretur. Hujusmodi autem dicta vel facta [in quibus non quaeritur nisi delectatio animae] vocantur ludicra, vel jocosa; et ideo necesse est talibus interdum uti quasi ad quandam animae quietem."[2]

680. Deinde exponit S. Doctor in his esse *tria* praecipue cavenda, in quibus tamen recensendis, quoniam hic exponit tantum ea a quibus cavendum est ut opus non sit peccatum, ne unum quidem verbum interponit de relatione illa ulteriore quam exigunt Thomistae, "*Primum,*" ait, "et principale est quod praedicta delectatio non quaeratur in operationibus vel verbis *turpibus* vel *nocivis* . . . *Aliud* autem attendendum est, ne *totaliter* gravitas animae resolvatur . . . *Tertio* autem attendendum est, sicut in omnibus aliis humanis actionibus, ut *congruat* personae, tempori, et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinetur . . .

---

[1] "Eos qui mediocritatem seu moderationem in ludo et joco servant . . . εὐτραπέλους nominat [Aristoteles], id est *bene facileque flexibiles* . . . Vocabuli etymon ducit a facili motu, seu docilitate, eorum qui festivo animo sunt in debita mensura . . Ii enim facile flectuntur ad sales et dicta, quando et quomodo decet . . Contra vero agrestes et duri . . inflexibiles existunt, instar corporum aegrorum et male habentium, quae vix aut ne vix quidem flectuntur.' De Aguirre, *Moralis Philosophia*. Lib. 4. cap. 8.

[2] *Summa*, 2. 2. quaest. 168. art. 2. in corp.

681. "Hujusmodi autem *secundum regulam rationis* ordinantur. Habitus autem secundum rationem operans est *virtus moralis.* Et ideo circa ludos potest esse aliqua virtus, quam Philosophus *eutrapeliam* nominat."[1]

682. De ludo choreali. "Ludus secundum se non est malus; aliter in ludis non esset virtus quae dicitur *eutrapelia* . . . Impossibile est semper agere in vita activa et contemplativa; ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur. . . . Et si tali fine fiat de ludis, cum aliis circumstantiis, *erit actus virtutis* . . . Istae autem circumstantiae videntur in ludo choreali observandae, ut non sit persona indecens (sicut clericus vel religiosus), ut sit tempore laetitiae, ut fiat cum honestis personis, et cum honesto cantu, et quod gestus non sint nimis lascivi, et si qua hujusmodi sunt."[2]

683. De cibo, potu, et ludo. "Comedere et bibere, *servato modo temperantiae*, et ludere ad recreationem, *servato modo eutrapeliae*, quae medium[3] tenet in ludis,

---

[1] Ibid.

[2] *In cap.* 3. *Isaiae*, ad fin.

[3] "In omni eo quod est dirigibile secundum rationem, *superfluum* dicitur, quod regulam rationis excedit: *diminutum* autem dicitur, secundum quod deficit a regula rationis . . .

"Dictum est autem quod ludicra vel jocosa verba vel facta sunt dirigibilia secundum rationem, et ideo superfluum in ludo accipitur, quod excedit regulam rationis. Quod quidem potest esse dupliciter. Uno modo ex ipsa specie actionum quae assumuntur in ludum . . . quando scilicet utitur aliquis, causa ludi, turpibus verbis, vel factis, vel etiam his quae vergunt in proximi nocumentum . . . Alio autem modo potest esse excessus in ludo secundum defectum debitarum circumstantiarum, puta, quum aliqui ludo utuntur vel temporibus vel in locis indebitis, ut aut etiam praeter convenientiam negotii seu personae." (S. Thomas, *Summa*, 2. 2. quaest. 168. art. 3.)

Et statim postea docet S. Doctor non solum *excessum*, sed et "*defectum*" in ludo esse vitiosum, "quia omne quod est contra rationem in rebus humanis vitiosum est; est autem contra rationem ut aliquis se aliis onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, et etiam aliorum delectationes impedit . . . Illi autem qui in ludo deficiunt, nec ipsi dicunt aliquod ridiculum, et dicentibus molesti sunt, quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt: et ideo tales *vitiosi* sunt, et dicuntur duri, et agrestes, ut Philosophus dicit in 4. Ethic."

De his vid. S. Thomas, *In Aristotelis Ethic.*, Lib. 4. lect. 14; De Aguirre, *Philosophia Moralis*, Lib. 4. cap. 8.

[non solum *moraliter bonum*, ut supra dictum est, sed et] *meritorium* erit in eo qui charitatem habet."[1]

684. De ornatu mulierum. "Si mulieres portent ornamenta decentia secundum statum et dignitatem suam, et moderate se habeant in factis suis secundum consuetudinem patriae, *erit actus virtutis modestiae*, quae modum [seu medium] ponit in incessu, statu, habitu, et omnibus motibus exterioribus; et poterit esse *meritorius*, si sit cum gratia. Similiter si faciat ut placeat decenter viro suo, quem habet, vel accipere debet."[2]

685. De operibus amicitiae et societatis civilis. "Si aliquis alicui loquatur ex quadam civili amicitia vel etiam aliquod opus amicabile ad ipsum exerceat [est actus virtutis politicae,] non indifferens, sed de se *bonus*, et si sit gratia informatus, erit *meritorius*. . . Quia non potest esse actus, procedens ab aliquo deliberante, sine intentione finis. Finis autem ille est bonum conveniens homini vel secundum *animam*, vel secundum *corpus*, vel secundum etiam *res exteriores* quae ad utrumque ordinantur; et hoc quidem bonum, *nisi sit contrarium* illi bono quod est hominis bonum secundum rationem, *rectitudinem virtutis civilis habet*, quia virtus civilis dirigit in omnibus quae sunt corporis, et etiam quae propter corpus quaeruntur; unde si his aliquis *mediocriter* [seu non discedens a *medio*] utatur, erit usus *rectus* [seu actus *virtutis*]; si autem secundum *abundantiam* [id est *excessum*] vel *defectum*, erit usus *vitiosus* virtuti oppositus."[3]

686. De operibus quibusvis non ex se malis. "Contingit quandoque quod homo non ordinet aliquem actum in Deum, quum tamen actus ille *de se non contineat aliquam deordinationem* ratione cujus non sit in Deum *referibilis*, et quia mens hominis est *habitualiter* relata

---

[1] *In* 2. *Lib. Sent.* Dist. 40. quaest. 1. art. 5.

[2] *In cap.* 3. *Isaiae*, ad fin. Vid. etiam *Summa*, 2. 2. Quaest. 169. art. 1. et 2.

[3] *In* 2. *Lib. Sent.* Dist. 40. quaest. 1. art. 5.

in Deum [quum sit in statu gratiae], actus ille non solum non est peccatum, sed etiam *est actus meritorius.*"[1]

687. De iisdem. "Ille qui habet charitatem, . . . quidquid ordinat vel ad se, vel ad quodcunque aliud sui, *meritorie* agit, . . . , nisi impediatur per aliquam inordinationem actus qui non sit *referibilis* in Deum. Sed hoc non potest esse nisi sit peccatum saltem veniale."[2]

688. De iisdem. "Relatio haec in gloriam Dei [de qua loquitur Apostolus, 1 Cor. x. 31.] intelligitur vel in *actu*, vel in *aptitudine* referendi, quae non solum est in *bonis* [hic loquitur S. Doctor de actibus *ex objecto* bonis], sed etiam *in indifferentibus.*"[3]

689. His vero tam fuse expositis, vix est quod dicam nisi ut verba exscribam theologi eximii, S. R. E. Cardinalis, De Aguirre, qui, quum in Commentariis Theologiae S. Anselmi doctrinam D. Thomae de operibus non malis quae deliberate fiant, et de merito eorum supernaturali, ut supra, exposuerit, rem sic lectores adhortando prosequitur:[4]—"Quum tot hactenus dicta sint ad eximendum homines scrupulo . . . , religioni ducerem, meque quodammodo reum violatae charitatis timerem, nisi hoc loco ad continuum ejus exercitium, sub consilio saltem, exhortarer.

690. "Quare imprimis moneo, ac theologis quibuslibet commendatum velim, ut tam scripto, quam viva voce, ceteris quibuslibet inculcent et praedicent, veluti saluberrimam doctrinam, ut unusquisque toto animi studio et fervore conetur familiare sibi facere et assiduum, quantum haec vita fragilis et mortalis sinit, exercitium

---

[1] *De Malo*, Quaest. 9. art. 2.
[2] Ibid. Quaest. 2. art. 5. ad 11.
[3] Lect. 7. *In* 1. *Cor.* x. 31.
[4] De Aguirre, *S. Anselmi Theologia Commentariis Illustrata*, Tom. 3. tract. vii. disp. 130. nn. 149. et seq.

referendi se explicite, et omnes suas cogitationes, affectiones, verba, et opera, in Deum, propter se dilectum.

691. "Neque enim contentus esse debet si semel in die aut nonnunquam id faciat, sed crebro . . oportet identidem ingeminare id animi sacrificium, longe gratius Deo quibuslibet aliis obsequiis in materia virtutum moralium, quanto charitas iis omnibus excellentior est, et praestabilius homini offerre se ipsum cum omnibus suis, quam aliquid rerum suarum . . .

692. "Haec etiam est regula inter omnes vitae spiritualis traditas in sacris litteris longe nobilior, utilior, securior, compendiosior, quae, si serio et perseveranter servetur, hominem facile ac suavissime perductura sit ad apicem perfectionis Christianae intra proprium uniuscujusque statum, et subinde ad sublimem ac praestantissimum gradum gloriae; si autem non servetur, quamvis aliae adhibeantur, vix possit mediocris profectus in vita spirituali obtineri."

FINIS.

ELENCHUS

DECRETORUM ET CANONUM CONCILII TRIDENTINI ET PROPOSITIONUM A RR. PONTIFICIBUS DAMNATARUM,

QUAE IN HOC TRACTATU CITANTUR.

I. Decreta et Canones Con. Tridentini.

1. *De Libero Hominis Arbitrio* [Tract. nn. 200–207.]

Declarat praeterea [sancta synodus] ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae *libere assentiendo et cooperando,* disponantur: ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, *neque homo ipse nihil omnino agat,* inspirationem illam recipiens, quippe qui illam *et abjicere potest;* neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris litteris cum dicitur: "Convertimini ad me, et ego convertar ad vos," libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus: "Converte nos, Domine, ad te; et convertemur," Dei nos gratia praeveniri confitemur. Sess. 6. *De Justificatione,* Cap. 5.

Disponuntur autem [adulti] ad ipsam justitiam, dum, excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, *libere* moventur in Deum, credentes, etc., etc. *Ibid.* Cap. 6.

Si quis dixerit liberum hominis arbritrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet; neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit. *Ibid.* Can. 4

Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit; aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in ecclesiam; anathema sit. *Ibid.* Can. 5.

Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona, Deum operari; non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli; anathema sit. *Ibid.* Can. 6.

2. *De Homine, vel in praesenti statu Naturae Lapsae, vere merente.*

[Tract. n. 203.]

Bene operantibus usque in finem et in Deo speranti-bus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam *merces* ex ipsius Dei promissione ipsorum operibus et *meritis* fideliter reddenda, etc., etc. Sess. 6. *De Justificatione,* Cap. 16.

Si quis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo, per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint; anathema sit. *Ibid.* Can. 26.

Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse

dona Dei ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum, bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; anathema sit. *Ibid.* Can. 32.

3. *De Contritione ex Metu Gehennae elicito* [Tract. nn. 343, 648.]

Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu, communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, [sancta synodus] declarat non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam *donum Dei* esse, et *Spiritus sancti impulsum*, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum *ad Dei gratiam* in sacramento Poenitentiae *impetrandam disponit.* SESS. 14. *De Sac. Poenitentiae.* Cap. 4.

Si quis dixerit eam contritionem quae paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit. *Ibid.* Can. 5.

4. *De Operibus factis ex spe mercedis* [Tract. n. 648.]

Unde constat eos orthodoxae religionis doctrinae adversari, . . qui statuunt in omnibus operibus justos peccare si in illis, suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam: cum [Psalm. cxviii. 112] scriptum sit: "Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem;" et de Moyse dicat Apostolus [Heb. xi. 26.], quod "respiciebat in remunerationem." SESS. 6. *De Justificatione*, Cap. 11.

Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur; anathema sit. *Ibid.* Can. 31.

II. PROPOSITIONES A RR. PONTIFICIBUS DAMNATAE.

A. *Ex Erroribus* 41. Martini Lutheri, *damnatis a* LEONE X. (A.D. 1520).

De Contritione ex Metu Gehennae elicita [Tract. nn. 343, 648.]

6ta. Contritio quae paratur per discussionem, collationem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

De Libero Hominis Arbitrio [Tract. n. 202.]

36ta. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo; et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

B. *Ex Propositionibus* 79 Michaelis Baii, *damnatis a* S. PIO V. (1567), GREGORIO XIII. (1579), URBANO VIII. (1641).

De Bonis Operibus Infidelium [Tract. n. 592.]

25ª. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

De Libertate a Necessitate [Tract. n. 208.]

39ª. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

41ª Is libertatis modus qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

66ta. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67ª. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

C. *Ex quinque Propositionibus* Cornelii Jansenii *damnatis ab* INNOCENTIO X. (1653), ALEXANDRO VII. (1664, 1665), CLEMENTE XI. (1705).

De Libero Hominis Arbitrio, ac de Libertate requisita ad merendum ac demerendum [Tract. nn. 203, 207.]

2da. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur. *Damnata ut haeretica.*

3tia. Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate sed sufficit libertas a coactione. *Damnata ut haeretica.*

D. *Ex Propositionibus* 65 *damnatis ab* INNOCENTIO XI. (1679).

De Sententiis vel tenuiter probabilibus; et de Actibus quibusdam ob solam voluptatem peractis [Tract. nn. 276, 612, 636, etc.]

3tia. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca

sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

8va. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini ; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9a. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

E. *Ex Propositionibus* 31 *damnatis ab* ALEXANDRO VIII. (1690).

De Ignorantia Invincibili [Tract. n. 283.]

2nda. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec, in statu naturae lapsae, operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS

COMPENDIUM AD USUM EXAMINANDORUM.

NOTA : Agemus de Notione, de Elementis, de Moralitate, Actuum Humanorum. [1, 2.]

PROŒMIUM.

DE FACULTATIBUS ANIMAE HUMANAE.

QUAER. 1°. *Quomodo distinguendae sint hominis facultates ?*

RESP. Duo sunt facultatum genera ; facultates enim sunt vel *cognoscendi*, vel *appetendi*. Utrumque genus complectitur facultates duas ; alteram, homini cum brutis communem, alteram, homini propriam. Sic duae sunt *cognoscendi* facultates ; *sensus* et *intellectus :* atque duae sunt facultates *appetendi*, seu *appetitus ; sensitivus* (seu *inferior*) et *rationalis* (seu *superior*) quae etiam *voluntas* vocatur. [3, 4.]

QUAER. 2°. *Quid sit bonum ?*

RESP. Est *id quod est alicui conveniens.* Bonum est vel *sensibile*, quod convenit sensui ; vel *rationale*, quod convenit rationi : aliquando, sed plane non semper, haec duo simul concurrunt.—Sensibilia bona apprehendit sensus ; intellectus vero bonum apprehendit sive sensibile, sive rationale. [5, 6.]

QUAER. 3°. *Quatenus appetitus pendeant ex facultatibus cognoscendi ?*

RESP. Appetitus, sive inferior sive superior, quum in incognitum terri nequeat, ipse vero *caeca* sit *facultas*, ita pendet ex facultate cognoscendi ut omnino non possit objectum amplecti quod prius non fuerit ab ea facultate cognitum.—Objectum sic cognitum amplectitur voluntas aut *libere* aut *necessario : libere*, si aliqua ratio mali in eo inesse deprehendatur ; secus *necessario.* Sic v.g. Beati in coelis (non autem homines viatores) necessario diligunt Deum ; atque bonum in genere spectatum necessario appetunt vel ipsi viatores. [7-12.]

QUAER. 4°. *Quatenus ex voluntate pendeant ceterae facultates ?*

RESP. Voluntas velut regina iis imperat : non ita tamen ut nun-

quam resistere valeant ; non semper enim, nec in omnes facultates, *despoticum* imperium habet voluntas, sed aliquando *politicum* tantum. Res patet v.g. in intellectu. [13–15.]

QUAER. 5°. *An in omnibus cogitationibus intellectus ex voluntate pendeat ?*

RESP. Negative. *Prima alicujus rei cogitatio non subjacet imperio voluntatis ;* voluntas enim agere omnino non potest donec praecesserit actus intellectus. Ad primam igitur cogitationem movetur intellectus, vel immediate a Deo, vel per sensus exteriores, imaginationem, memoriam, etc. Cogitatione jam excitata, potest voluntas efficere ut intellectus eam prosequatur. [16-18.]

QUAER. 6°. *Quomodo distinguantur motus seu actus, sive sensitivi appetitus, sive voluntatis ?*

RESP. Alii sunt *primo-primi*, qui sine ullo imperio voluntatis aut intellectus deliberatione eliciuntur : alii, *secundo-primi*, qui oriuntur post deliberationem imperfectam : alii denique *secundi*, qui voluntate imperante, aut saltem consentiente, excitantur. [19.]

CAPUT I.

DE NOTIONE ACTUUM HUMANORUM.

QUAER. 1°. *Quid sit actus humanus ?*

RESP. Praetermissis aliis sensibus, hic intelligitur *actus qui ab homine perficitur cum advertentia intellectus, consensu voluntatis, et libertatis exercitio.* Haec enim omnia ad *libere* agendum requiruntur : jamvero actus ideo dicitur *humanus*, quia *libere* fit ; hic enim est agendi *modus qui proprius* est *homini* "in quantum homo est, et differt a creaturis irrationalibus."—Hoc sensu distinguitur *actus humanus* ab *actu hominis*, quo nomine intelligitur vel (*a*) actus quivis qui ab homine perficitur, vel (*b*) actus qui ab homine perficitur aliter tamen quam illo agendi modo jam exposito quo actus efficitur *humanus*. [20-26.]

QUAER. 2°. *Quotuplex sit actus humanus ?*

RESP. Est 1° *elicitus*, qui in ipsa voluntate consummatur ; vel *imperatus*, qui, imperante voluntate, perficitur ab alia facultate. [27, 1°.]

2° *Internus*, qui internis animi potentiis perficitur ; vel *externus* seu *mixtus*, quem voluntas non perficit nisi per corporis membra.—Sic aliquando distinguuntur *actus* et *actio*. [27, 2°.]

3° *Bonus* seu *honestus*, qui positive conformis est regulis morum ; *malus* seu *inhonestus*, qui iisdem repugnat ; vel *indifferens*, qui iis nec positive conformis est, nec tamen repugnat.—Actus bonus vel indifferens dicitur *licitus :* actus vero malus dicitur *illicitus*. [27, 3°.]

4° *Naturalis*, qui solis viribus naturae perficitur ; vel *supernaturalis*, qui perficitur auxilio gratiae divinae. [27, 4°.]

5° *Validus*, cui insunt omnia quae ad ejus effectum sunt essentialia ; vel *invalidus*, qui vel uno ex iis caret. [27, 5°.]

CAPUT II.

De Elementis Actuum Humanorum.

Quaer. *Quaenam sint elementa actus humani?*

Resp. Tria: advertentia intellectus, consensus voluntatis, exercitium libertatis. [28-30.]

ARTICULUS I.

De Advertentia Intellectus.

Quaer. 1° *Quid sit advertentia?*

Resp. Est *actus quo intellectus ad aliquid attendit.* Sic differt a *scientia*, quae *habitualis* est. [31.]

Quaer. 2°. *Quomodo distinguatur advertentia?*

Resp. 1° *Subjective:* est *plena*, cui nihil ex parte intellectus deest quominus actus perfecte eliciatur: vel *semiplena*, cui aliquid hujusmodi deest. [32, 33.]

Resp. 2° *Objective:* est *distincta*, qua res clare apprehenditur; vel *confusa*, qua non apprehenditur nisi modo ambiguo et obscuro. [34.]

ARTICULUS II.

De Voluntario et Involuntario.

§ 1. *De Definitione Voluntarii.*

Quaer. *Quid sit voluntarium?*

Resp. Est *id quod provenit a voluntate cum praevia advertentia intellectus.* [35.]

Dicitur 1° *id quod provenit a voluntate.* Quae clausula intelligitur vel *strictius*, ut designet tantum ea quae proveniunt per influxum *positivum*, qui sunt (*a*) actus voluntatis et (*b*) eorum effectus; vel *latius*, ut designet ea etiam quae proveniunt per influxum *negativum*, quae sunt (*a*) omissiones, si quae sint, quae voluntati ut causae tribuantur etsi fiant sine voluntatis actu, atque (*b*) earundem effectus. Sive *strictius* sive *latius* sumitur, potest intelligi vel de omnibus effectibus alterutrius generis, vel de iis tantum quibus insunt conditiones quaedam.—In his omnibus, ut patet, agitur de modo loquendi. [36.]

Dicitur 2° *Cum praevia advertentia intellectus*: nihil enim potest esse voluntarium quod non sit cognitum. Eodem recidit clausula, *cum cognitione singulorum in quibus est actio.*—Res illustratur exemplo v.g. parricidii, cujus partes quatuor distingui possunt. [37-38.]

Itaque differt *voluntarium* 1° a *volito*, quod potest esse objectum inefficacis actus voluntatis, ut v.g. tempus serenum quod vult

agricola: 2° a *spontaneo*, quod provenire potest sive a voluntate, sive ab appetitu sensitivo, sive ab alia quavis facultate interna. [39-41.]

EX DICTIS RESOLVES, 1° Non esse voluntariam, neque in culpam imputari posse, transgressionem praecepti ad quod agens non advertit. Nec sufficit advertentia, quam vocant, *virtualis* seu *interpretativa*. [42, 1°.]

2° Actum esse tantum *semivoluntarium*, si *semiplena* tantum sit intellectus advertentia. [21, 2°].

3° Idem dicendum esse de *imperfecto consensu voluntatis* [42, 3°.]

§ 2. *De Involuntario.*

QUAER. 1°. *Quid sit involuntarium?*

RESP. Sensu *minus stricto*, est *illud omne quod non est voluntarium:* quod sumi potest aut *negative*, ut significet tantum *absentiam* voluntarii, ut v.g. in lapide; aut *privative*, ut significet *absentiam* voluntarii *in subjecto capaci*, ut v.g. in homine. Sensu *strictiore*, quo *positive* seu *contrarie* sumitur, est *id quod voluntati adversatur*. [43, 44.]

QUAER. 2°. *Quotuplex sit involuntarium strictiore sensu sumptum?*

RESP. Est involuntarium *simpliciter*, quod omnino adversatur voluntatis determinationi, sive actuali sive interpretativae, ut v.g. in eo quem exspoliant latrones, aut in eo cujus crumena surripitur; vel *secundum quid*, quod voluntas quidem amplectitur, sed non sine quadam renitentia, ut v.g. in mercatore, apostata, etc. [45-47.]

§ 3. *De Divisione Voluntarii.*

QUAER. *Quotuplex sit voluntarium?*

RESP. Est 1° *elicitum* vel *imperatum:* quae divisio satis supra exposita est. [48, 49.]

2° *Liberum*, si voluntas, positis omnibus ad agendum praerequisitis, possit agere vel non agere; secus est *necessarium* [50].

3° *Purum* (seu *plenum*), si nullam secum conjunctam habet renitentiam; secus est *mixtum* (seu *non plenum*). [51.]

4° *Perfectum* vel *imperfectum:* quae divisio, quum distinguitur a 2ª, et 3ª, ita sumitur ut *perfectum* dicatur voluntarium quod provenit ex plena intellectus advertentia, atque ex pleno consensu voluntatis; secus dicatur *imperfectum*. [52-55.]

5° *Simpliciter* vel *secundum quid:* quae divisio, quum distinguitur a 3ª, ita sumitur ut *simpliciter* voluntarium dicatur id omne quod reipsa voluntarium est, voluntarium vero *secundum quid* dicatur inefficax voluntatis inclinatio, quae cum *simpliciter involuntario* esse potest. [56-53.]

6° *In se*, quod est objectum voluntatis expresso actu id volentis ; vel *in causa*, quod ita connectitur cum voluntario in se, ut qui illud velit et hoc, secundum morale judicium hominum, velle censeatur, v.g. damnum illatum ab eo qui tegulas in viam e tecto dejiciat. [59.]

7° *Positivum*, quod provenit a voluntate quatenus agit ; vel *negativum*, quod provenit a voluntate quatenus non agit. Non quaevis omissio voluntaria dicitur *negative* voluntaria ; sed eae tantum omissiones (si quae sint ejusmodi) quae *purae* dicuntur, aut saltem eae quae fiunt sine actu voluntatis expresse statuentis rem esse omittendam. [60-63.]

8°. *Expressum*, si manifestatur verbis, aut aliis signis aequivalentibus ; secus dicitur *tacitum*. Sunt regulae juris ; *Qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur. Qui tacet, consentire videtur.* Haec altera non valet nisi adsint adjuncta quaedam specialia. [64-66.]

9°. *Actuale*, quod hic et nunc elicitur aut imperatur ; *virtuale*, quod, antea elicitum, in virtute permanet ; *habituale*, quod, antea elicitum, nunquam est revocatum. Ad *habituale*, duo requiruntur ; ad *virtuale*, quatuor. Disputant theologi in quonam sita sit ea vis seu virtus quae sic maneat ex actuali voluntate praeterita, an (*a*) in motu potentiis impresso, an (*b*) in repetitis actibus appetitus sensitivi, an (*c*) in actibus voluntatis toties repetitis, cum repetitis actibus intellectus, an (*d*) in actibus voluntatis, sine repetitis actibus intellectus. Consentiunt vero omnes in regula tradenda cujus ope dijudicari potest quando virtus illa reipsa maneat. Etiamsi ita manet, tamen non influit nisi in ea opera quae fiunt ad assequendum finem actuali voluntate prius propositum. [67-82.]

Hic loqui solent theologi de voluntario *interpretativo* (seu *praesumpto*). Est duplex : *conditionatum*, quod praesumitur *adfore* si conditio adimpleretur ; et *absolutum*, quod praesumitur reipsa *adesse*. Voces tamen *interpretativum* et *praesumptum* alii aliter intelligunt. [83-86.]

Ex dictis resolves 1° In eodem actu inveniri posse *voluntarium in se*, et *in causa*, atque *involuntarium* tum *privative* tum *positive* (seu *contrarie*) sumptum. [87, 1°.]

2° Actum posse *simpliciter voluntarium* esse, (et, in re gravi, graviter peccaminosum,) etsi simul sit *involuntarium secundum quid*. Hujusmodi tamen involuntarium peccatum minuit. [87, 2°.]

3°. Voluntarium *virtuale*, non autem *habituale*, sufficere ad actus validitatem aut moralitatem ; v.g. in ministro sacramenti. [87, 3°.]

4°-7° Voluntarium *habituale* sufficere posse in sacramento suscipiendo. Immo sufficere potest etiamsi sit tantum *implicitum ;* v.g. in extrema unctione : attamen ne in hoc quidem casu sufficit interpretativum *conditionatum*, sed tantum *absolutum ;* et quidem si voluntas, quae praesumitur, reipsa (saltem *habitualis*) non adest, sacramentum invalide confertur. [87, 4°-7°.]

8°. Voluntarium interpretativum *conditionatum* non sufficere, sed requiri *absolutum*, quoties requiratur consensus alterius, v.g. ad jurisdictionem conferendam : sufficere vero *conditionatum*, si requiratur tantum ut alter non invitus sit. [87, 8°.]

§ 4. *De Voluntario in Causa.*

NOTA: Hujusmodi voluntarium est verum, etsi non formale, voluntatis objectum; et potest in culpam imputari si adsint quaedam conditiones. [88-90.]

QUAER. 1°. *Quotuplex hic distingui debeat causa?*

RESP. Est 1° *immediata*, quae effectum producit nulla alia causa interveniente; secus est *mediata*. [91, 1°.]

2° *Principalis*, ex qua effectus primario dependet; vel *instrumentalis*, quae a causa principali movetur et regitur. [91, 2°.]

3° *Physica*, quae effectum producit influxu, ut aiunt, reali (ita ut, servatis legibus physicis, repugnet effectum non produci); secus dicitur *moralis*. Causa *moralis* est semper *mediata*. [91, 3°.]

4° *Proxima*, si non interveniant causae mediae, vel si causae hujusmodi interveniant tantum paucae; secus dicitur *remota*. Hic plures gradus distingui possunt: quod illustratur ex exemplo illorum qui ad ebrietatem concurrere possunt. [91, 4°.]

5° *Per se*, si ex sua natura tendit ad effectum producendum; secus dicitur causa *per accidens*, seu *occasio*. [91, 5°.]

QUAER. 2°. *Quaenam conditiones requirantur ad* voluntarium in causa?

RESP. Requiritur 1° ut causa sit *voluntaria in se;* 2° ut agens, saltem in confuso, advertat ad effectum secuturum; disputatur an 3° insuper requiratur ut agens, quum ad effectum adverterit, teneatur ideo abstinere quominus causam ponat: de quo, aliis praetermissis sententiis, dicendum videtur id requiri si agitur de causa *per accidens*, non autem si agitur de causa *per se*. [92-100.]

QUAER. 3°. *Quaenam conditiones requirantur ut effectus* voluntarius in causa *queat insuper* in culpam *imputari?*

RESP. Requiritur 1° ut causa libere ponatur: 2° ut agens, saltem in confuso, advertat ad effectum secuturum; nec admittenda est sententia quae docet sufficere advertentiam, quam vocant, virtualem; negandum enim est suppositum quo nititur, nempe censeri posse eum *debere*, immo vel *posse*, advertere, qui reipsa ne *in confuso* quidem advertat; de hac conditione insuper duo sunt notanda, (*a*) minorem esse culpam in eo qui *in confuso* tantum advertat, atque (*b*) haud minus requiri hanc 2^{am} conditionem etsi causa sit ex se illicita: denique 3° requiritur ut agens quum ad effectum adverterit, teneatur ideo abstinere quominus causam ponat. [101-113.]

QUAER. 4°. *Qualis sit ista obligatio?*

RESP. Ut intelligatur, statuenda sunt tria principia: quae n. 115, n. 118, et n. 155, traduntur. [114.]

QUAER. 5°. *Quomodo exponatur principium primum?*

RESP. Enuntiat duos fontes ex quibus profluit obligatio: est enim (*a*) generalis obligatio charitatis, et (*b*) specialis obligatio virtutis de qua agitur: quorum prior aliquando deest. [115-117.]

QUAER. 6°. *Quomodo exponatur principium secundum?*

RESP. Declarat obligationem non esse nimis urgendam. [118, 119.]

QUAER. 7°. *Quomodo exponatur principium tertium?*

RESP. Hoc principium, distinguendo duo genera casuum et recensendo conditiones in utroque genere requisitas, declarat obligationis limites. [120-155, 156.]

QUAER. 8°. *Quomodo distinguantur casus?*

RESP. Alii sunt (*a*) in quibus malum secuturum adeo inhonestum est ut nulli unquam liceat in illud consentire, neque ut finem agendi, neque ut medium assequendae alius rei quantumvis bonae; alii vero sunt (*b*) in quibus malum secuturum non adeo inhonestum est, et ideo licet in illud consentire, sin minus ut finem agendi, saltem ut medium assequendi alius finis boni. [123-125; 152-154.]

QUAER. 9°. *Quot conditiones requirantur in casibus generis prioris?*

RESP. Requiruntur tres: 1° ut causa sit in se bona aut saltem indifferens: 2° ut sit ratio agendi proportionate gravis: 3° ut non sit inhonesta agentis intentio. [155-161.]

QUAER. 10°. *Quid de prima conditione notari debeat?*

RESP. Vix indiget expositione: ex terminis patet eam semper requiri. [126, 127, 161.]

QUAER. 11°. *Quid de secunda conditione?*

RESP. Eam requiri demonstrat naturalis aequitas. [128, 161.]—Censetur adesse quum, perpensis utriusque partis commodis et incommodis, perspicitur incommodum oriturum ex imponenda obligatione, majus esse quam cui aequivaleret bonum seu commodum quod ex eadem proveniret; haec enim est ratio dijudicandi an magis expediat bono humani generis, actionem, de qua agatur, a Deo permitti an prohiberi, seu, aliis verbis, dijudicandi an actio illa reipsa a Deo permittatur an prohibeatur. In his perpendendis inspiciendum est (*a*) incommodum proveniens ex quavis lege imposita, (*b*) incommodum toti generi humano obventurum si actio de qua agitur lege generali prohiberetur, (*c*) incommodum oriturum si omnibus contra concederetur licentia agendi. [129-139.]

QUAER. 12°. *Quid de tertia conditione?*

RESP. Hanc requiri constabit ex infra dicendis de *fine* actus humani. [158-161.]

QUAER. 13°. *Quid de aliis conditionibus quae a pluribus TT. hic exigi soleant?*

RESP. Sunt duae: 1° ut effectus non ita ex causa profluant ut bonus effectus obtineatur mediante effectu malo: 2° ut agens unice intendat effectum bonum. [120-122.] Attamen plane constat eas non semper requiri, sed tantum in casibus secundi generis ex duobus antea expositis, et ideo non esse hic absolute apponendas [140-150; 177, 178.] Eas tamen requiri in altero hoc genere

casuum ex terminis constat ; ideoque recensentur in altera parte principii [151-155]; haec illustrantur exemplis abortus, occisionis innocentis, occisionis sui. [162-176.]

QUAER. 14°. *Quaenam adhiberi possint regulae ad dijudicandum qualis ratio agendi in singulis casibus requiratur?*

RESP. Non potest assignari regula universalis. Octo recenseri possunt regulae speciales. Quarum 1ª est, praeter ipsum humanae libertatis usum, necessitatemque commercii inter homines servandi, alia non requiritur ratio, quoties (*a*) periculum effectus mali secuturi non sit probabile, aut (*b*) causa tantum remote concurrat ad malum effectum : 2ª, ratio eo major requiritur quo gravius est malum praevisum ; 3ª, ratio major requiritur quum agens impedire valet ne malum eveniat, quam si malum esset aliunde eventurum etiamsi ille non ageret : 4ª, ratio eo minor sufficit quo causa magis remote confert ad malum efficiendum : 5ª, ratio minor sufficit si effectus tantum probabiliter, quam si certo (atque eo minor quo minus probabiliter), secuturus praevideatur : 6ª, ratio minor sufficit si agatur de illis qui speciale jus habent causam ponendi : 7ª, ratio minor sufficit si agatur de illis qui nullo officii munere istud malum praecavere teneantur, quam si agitur de illis quorum munus est illud praecavere : 8ª denique minor sufficit ratio si causa de qua agitur sit aliquid lege praeceptum, quam si sit aliquid omnino sponte suscipiendum. Quarum omnium ratio eadem est, eaque ex praescriptis naturalis aequitatis desumpta : rationem requiri eo majorem, quo majus est incommodum ex licentia concedenda secuturum, atque sufficere rationem eo minorem, quo majus est incommodum secuturum ex imponenda obligatione, seu ex agendi licentia deneganda. [179-191.]

EX DICTIS RESOLVES, 1° Malitiam tum causae tum effectus posse ex eodem actu agenti in culpam imputari ; quae duae malitiae possunt esse vel ejusdem vel diversae speciei. [192, 1°.]

2° Levem esse obligationem abstinendi ab actu qui, ex se leviter peccaminosus, leviter tantum in effectum influat. [192, 2°.]

3° Reatum peccati *in causa* voluntarii incurri quando causa ponitur ; ideoque eodem modo incurri sive postea eveniat, sive non eveniat, peccatum de quo agitur. [192, 3°.]

4° et 5° In culpam imputari insuper effectum, ut *in se* voluntarium, si postea eveniat quando agens possit eum impedire : ita vero imputari non posse, si aliter eveniat ; quum non sit voluntarius nisi tantum *denominative*. Disputatur (*a*) an effectus sic eveniens rationem habeat peccati, (*b*) an sit confitendus, (*c*) an incurratur poena spiritualis ei annexa. [192, 4° et 5°.]

6° Omnia hic tradita intelligenda esse non solum de iis qui causam alicujus effectus peccaminosi *ponant*, sed etiam de iis qui hujusmodi causam *auferre* voluntarie *praetermittant*. [192, 6°.]

7°–9° Hac saltem ratione in culpam imputanda esse peccata, v.g. blasphemias, illorum qui, consuetudine abrepti, ad eorum malitiam vix unquam advertant. Etsi enim plerique ejusmodi

actus (quod tamen non potest de omnibus dici, praesertim si agatur de peccatis commissionis) non sunt *in se* voluntarii, tamen voluntarii sunt *in causa*, si consuetudinarius, quum adverterit ad consuetudinem ut causam peccatorum, neglexerit eam removere. Quum vero quis serio conatus est consuetudinem eradicare, ea quae deinde indeliberate eveniunt non sunt in culpam imputanda. [192, 7°-9°.]

10° et 11° Omnia hactenus exposita eodem modo intelligenda esse sive peccatum *in causa* voluntarium, de quo agatur, *commissionis* sit, sive *omissionis*. [192, 10°, 11°.]

12° Voluntarias *in causa* esse blasphemias etc. ab ebrio prolatas quando praevideri possint ; ut satis quidem praevideri solent. [192, 12°.]

13°-15° Non peccare ducem belli qui, quum ratio belli gerendi postulet, incendat agros, vel turrim incendat in qua innocentes includantur belli non participes : neque sacerdotem qui Communionem *occulto* peccatori *publice petenti* ministret : neque pecunia egentem qui, quum gravis causa adest, aliunde habere non valens, mutuum petat ab usurario injustum lucrum exacturo ; etsi, ut patet. qui mutuum sic petat, nisi adest hujusmodi causa, duorum peccatorum reus est, adversus *justitiam* atque adversus *charitatem;* sicut etiam peccat si in peccato usurarii delectetur. [192, 13°–15°.]

16° Peccare puellam quae ex delicto gravida abortum procuret ad infamiam vitandam. [192, 16°.]

ARTICULUS III.

De Libero.

QUAER. 1°. *Quid sit libertas ?*

RESP. Est *immunitas a subjectione.* Triplex distinguitur : libertas *gloriae*, seu immunitas a miseria, qua fruuntur Beati in coelis triumphantes ; libertas *gratiae*, seu immunitas a peccato, qua fruuntur justi ; libertas *naturae*, seu immunitas a determinatione ad unum, qua fruitur homo quivis viator. [193, 194.]

QUAER. 2°. *Quotuplex sit libertas* naturae ?

RESP. Duplex est : libertas *a vi* seu *coactione :* et libertas *a necessitate.* Libertas a *coactione* est immunitas a determinatione quae est *ab extrinseco* contra propensionem voluntatis ; hac fruuntur Beati in coelis Deum diligentes, atque homo viator appetens bonum in genere spectatum : aliquando dicitur libertas *spontaneitatis.* Libertas a *necessitate* est immunitas a determinatione vel *intrinseca* quae ex ipsa voluntate proveniat ; hac fruitur homo quivis viator, nisi agitur de bono spectato in genere : dicitur etiam libertas *electionis*, *arbitrii*, et *indifferentiae.* [195-197.]

QUAER. 3°. *Quotuplex sit libertas* indifferentiae ?

RESP. Triplex distinguitur : libertas *contradictionis*, *contrarietatis*, et *specificationis*. Libertas *contradictionis* est facultas eligendi utrumlibet e duobus contradictoriis, *velle* et *non velle* : libertas *contrarietatis* est facultas eligendi inter duo contraria, *velle* et *nolle*, aut *velle* aliquid et *velle oppositum* : libertas *specificationis* est facultas eligendi inter duo aut plura quae speciei diversae sunt, non tamen opposita ; v.g. Deum *amare*, in Deum *credere*.—Ita communius : res paullo aliter exponitur ab iis qui omissionem *puram* non agnoscunt. [198, 199.]

QUAER. 4°. *Quid de libertate hominis doceat fides Catholica ?*

RESP. Doctrina definita est a Con. Trid. Sess. vi. *De Justificatione*, cap. 5. [200.]

QUAER. 5°. *Quomodo de hoc dogmate erraverint heretici ?*

RESP. Novatores, praesertim Lutherani, aperte negabant hominem esse liberum : Jansenistae, ut eluderent anathema Tridentini, profitebantur hominem esse liberum, negantes tamen esse liberum a *necessitate ;* ideoque docebant libertatem a *coactione* sufficere ad merendum et ad demerendum in statu naturae lapsae. [201-203.]

QUAER. 6°. *Quibusnam argumentis demonstretur doctrina Catholica ?*

RESP. Demonstratur 1° ex pluribus textibus Scripturae, praesertim ex Deut. xxx. 19 ; Josue, xxiv. 14, 15 ; Eccl. xv. 14. et xxxi. 8-11 : 2° ex ratione theologica : 3° ex definitione Tridentini (qua reipsa damnatur non solum Novatorum, sed et Jansenistarum error) : atque 4° ex propositionibus Jansenii et Baii damnatis a Pontificibus Romanis. [204-209.]

QUAER. 7°. *An potentia peccandi sit de essentia libertatis ?*

RESP. Negative : est tamen de essentia libertatis sicut invenitur in hominibus, et in aliis creaturis quibus peccatum ut bonum videri potest. [210, 211.]

ARTICULUS IV.

De Impedimentis Voluntarii et Liberi.

QUAER. *Quaenam voluntario et libero adversentur ?*

RESP. Sunt quatuor : *ignorantia*, *concupiscentia*, *metus*, et *vis* seu *coactio*. [212.]

§ 1. *De Ignorantia.*

QUAER. 1°. *Quid sit ignorantia ?*

RESP. Sensu latiore est *absentia scientiae in subjecto sciendi capaci*. Sensu strictiore est *absentia scientiae subjecto debitae*, ita ut imperfectio censeatur ea carere : absentia scientiae quae non est eo sensu *debita* dici solet *nescientia*. [213, 214.]

Itaque differt ignorantia 1° ab *errore*, qui insuper secum affert judicium falsum. [215.]

Differt 2° ab *inadvertentia*, quae in eo consistit quod intellectus ad rem non attendit. [216.]

QUAER. 2°. *Quomodo ignorantia distinguatur?*

RESP. Est 1° *positiva*, quae est absentia scientiae debitae ; vel *negativa*, quae est absentia scientiae indebitae. Haec est divisio ignorantiae latiore sensu sumptae. [217, 218.]

Est 2° *juris*, quum ignoratur legem existere, aut obligationem quandam imponere ; vel *facti*, quum ignoratur adesse ea rerum adjuncta in quibus legis obligatio urget. Ignorantia *juris* est vel juris *divini* vel *humani ;* prior est juris *naturalis* vel *divini positivi ;* altera est juris *ecclesiastici* vel *civilis*. [219.]

Est 3° *vincibilis*, quae depelli potest ; vel *invincibilis*, quae non potest depelli. Est *moraliter vincibilis* si depelli potest adhibita *diligentia morali ;* secus dicitur *moraliter invincibilis :* porro *moralis* diligentia ea est quam prudentes. pro *rei gravitate*, *capacitate personae*, et *circumstantiis operis*, adhibere solent, aut ab aliis adhibitam approbare ut sufficientem.——Divisio etiam intelligi potest de ignorantia quae *physice* (seu *summa* diligentia adhibita) vincibilis est vel invincibilis : in hoc autem Tractatu intelligitur de ea quae *moraliter* vincibilis vel invincibilis est.—Ignorantia *invincibilis* semper est *inculpabilis : vincibilis* ignorantia est *culpabilis* vel non, prout adest, vel non adest, obligatio eam depellendi. Vox *vincibilis* satis communiter (et quidem deinceps in hoc Tractatu) intelligitur de ignorantia *culpabili :* non tamen confundi debent voces *invincibilis* et *inculpabilis*. [220–224.]

Vincibilis ignorantia est vel *affectata*, quae est *in se* voluntaria ; vel *non affectata* (seu simpliciter *negligens*) quae est voluntaria tantum *in causa*. [225-227.]

Ignorantia *non affectata* adhuc dividitur pro diversis gradibus negligentiae. Est *gravis* (quae etiam *lata* dicitur, et *graviter culpabilis*) si omittitur diligentia quae *sub gravi* adhibenda erat ; vel *levis* (seu *leviter culpabilis*) quum omittitur diligentia quae *sub veniali* tantum erat adhibenda ; ignorantia *gravis* (seu *lata*) est *gravissima* (seu *latissima*) quum tanta fuerit negligentia ut diligentia omnino nulla, aut tantum modicissima, adhibita sit ; e contrario *levis* ignorantia est *levissima*, si omissa sit diligentia tantum ejusmodi quam homines, nisi vigilantissimi, adhibere non soleant. [228.]

Hic loqui solent theologi de ignorantia *crassa* et *supina*. Quas voces alii aliter intelligunt. Ignorantia *crassa* (seu *supina*) secundum alios idem sonat ac ignorantia *graviter culpabilis :* secundum alios ignorantia *graviter culpabilis* dividitur in (*a*) *simpliciter gravem*, quae ex notabili quavis negligentia provenit, et (*b*) *crassam* (seu *supinam*) quae provenit ex negligentia *valde gravi* aut *gravissima*. Haec altera sententia benignior est, quum latius extendat ignorantiam quae a censuris incurrendis excuset. Rationibus utriusque partis perpensis, videtur non posse negari quin haec sententia saltem solide probabilis sit.—Denique hic notandum est voces eas, *crassa* et *supina*, vix differre nisi in eo quod diversae metaphorae in iis adhibentur. [229-238.]

Ignorantia *quarto* dividi solet in *antecedentem*, *consequentem*, et *concomitantem :* quae tamen tripartita divisio potius per duas bipartitas explicari debet [239]. Itaque ignorantia

Est 4° *antecedens* (priore sensu), quae neque *in se* neque *in causa* est voluntaria ; vel *consequens*, quae, sive *in se* sive *in causa* voluntaria est. [240.]

Denique 5° est (alio sensu) *antecedens*, seu *dans causam operis*, quae nisi adesset, non fieret opus de quo agitur ; vel *concomitans*, seu *non dans causam operis*, quae etsi non adesset, tamen opus fieret. [241.]

QUAER. 3°. *Quaenam conditiones requirantur ut ignorantia sit vincibilis ?*

RESP. Requiritur 1° ut *presto sint media* ignorantiam depellendi ; 2° ut ea adhibere *non exsuperet diligentiam moralem ;* 3°, si agitur de ignorantia *culpabili*, requiritur ut sit *obligatio* ea adhibendi.— Conditio 1ª exigit ut in mentem venerit cogitatio, seu advertentia, saltem confusa, tum ipsius ignorantiae, tum mediorum quibus depelli possit. Conditio 3ª respicit obligationem qua quis tenetur rem scire, sive *absolute* et *per se*, sive *in ordine ad actionem :* plane exigit actualem hujus obligationis cogitationem et ideo neganda est sententia eorum qui docebant culpabilem semper esse ignorantiam eorum quae ad proprium cujusque munus spectent ; immo, nec sufficit advertentia *cujusvis* obligationis adhibendi ea media quibus scientia acquiri potest ; requiritur enim advertentia obligationis ea adhibendi *ut media* scientiae acquirendae. [242-251.]

Ideoque duobus modis potest esse ignorantia *invincibilis :* 1° quum nullo modo in mentem venerit cogitare de opposito ; 2° quum etsi in mentem venerit, tamen debita diligentia omnino adhibita, ignorantia depelli non potest. [252.]

QUAER. 4°. *An fieri possit ut ignorantia quae prius* culpabilis *fuerit postea* inculpabilis *evadat ?*

RESP. Affirmative : quod fit quoties deest unum ex tribus jam expositis. [253-255.]

ANTEQUAM tradantur principia, praenotandum est 1° Ignorantiam non efficere ut involuntarius sit voluntatis actus *secundum substantiam* spectatus ; sermo igitur est tantum de *circumstantiis* actus, aut de ejus *effectibus*. [256.]

2° Ignorantiam non adversari voluntario nisi quatenus excludat *scientiam* rei *actualem*, seu *advertentiam*. [257.]

3° Quaestionem hic non esse, quatenus ea quae ex ignorantia profluant censeri debeant voluntaria *in causa*, quae erat omissio diligentiae praemittendae (de quo satis antea dictum est) ; hic vero investigandum esse an et quatenus ignorantia *quamdiu duret* obstet quominus ea quae fiant debeant *tunc* voluntaria censeri. [258.] Quibus praemissis, sit

PRINCIPIUM I. *Ignorantia* vincibilis *non tollit voluntarium.*

Praetermisso argumento quo theologi communiter principium hoc demonstrare solent, principium potius stabilitur ex eo quod in

hujusmodi ignorantia est advertentia saltem confusa circumstantiae aut affectus de quo agitur. [259-261.]

COROLL. 1m. *Ignorantia vincibilis voluntarium saltem minuit.*—Etenim minor est rei advertentia, quam si agens rem *sciret.* [262.]

COROLL. 2m. *Ideoque minuit culpam.*—Nihil enim in culpam imputari potest nisi quatenus voluntarium est. Sic fieri potest ut peccatum alioquin mortale fiat tantum veniale. [262.]

COROLL. 3m. *Hujusmodi tamen ignorantia culpam non tollit.*—Quia ille qui sic agit se exponit periculo legem transgrediendi, non praemissa diligentia morali ad periculum praecavendum. Unde vincibilis ignorantia dicitur excusare *non a toto sed a tanto.* [264.]

COROLL. 4m. *Voluntarium minuit ignorantia vincibilis quaevis, etiam* affectata.—Nam in ignorantia, vel *affectata*, deest actualis *scientia*, seu *advertentia distincta*, rei de qua agitur.—Affectata vero ignorantia, in quantum spectari potest ut signum animi valde ad peccandum propensi, hoc sensu dici potest peccatum augere. [265, 266.]

PRINCIPIUM II. *Ignorantia* invincibilis *prioris generis omnino tollit voluntarium.*

Ratio est quia omnino deest advertentia rei de qua agitur [267-268.]

COROLL. 1m. *Ideoque ejusmodi ignorantia omnino excusat a culpa.*—Res patet ex terminis.—Ne leges tamen impune violentur, ignorantia juris non agnoscitur in foro externo ut causa excusans Axioma juris tum canonici tum civilis (atque juris nostri municipalis) est : *ignorantia facti, non juris, excusat.* [269-270.]

COROLL. 2m. *Haec intelligenda sunt de ignorantia etiam concomitante.*—Sive enim ignorantia *antecedens* sive *concomitans* est, tamen, si invincibilis est priore sensu exposito, omnino deest advertentia rei de qua agatur—Peccaminosa tamen est animi affectio qua agens paratus est opus peccaminosum efficere. [271, 272.]

COROLL. 3m. Involuntaria privative (*seu* non voluntaria) *sunt ea quae fiunt cum ignorantia* concomitante : *quae vero fiunt ex ignorantia* antecedente *sunt* involuntaria positive *seu* contrarie.—Non enim in priore sensu, sed in altero tantum, agitur de iis quae voluntati *adversantur.* [273.]

Ad invincibilem ignorantiam *alterius* generis solent TT., praesertim recentiores, de Probabilismo agentes, transferre ea quae de ignorantia *prioris* generis jam tradita sunt. Investigandum est an id liceat. Atque prius notanda sunt quaedam de sententiis quibusdam laxis, quae vix alio fundamento nituntur quam principio ita translato. [274-277.]

PRINCIPIUM III. *Ignorantia* invincibilis *alterius generis non tollit voluntarium*

Ratio est quia in hujusmodi ignorantia, haud minus quam in ignorantia *vincibili*, agens in confuso advertit ad rem de qua agitur. [278-279.]

COROLLARIUM. *Hujusmodi ignorantia voluntarium minuit.*— Etenim hic quoque valet ratio supra tradita de ignorantia *vincibili.* [280.]

Ex his constat actum non ideo immunem esse a culpa, quod agens hoc secundo modo *invincibiliter ignorat* se legem transgredi : defectus quidem scientiae, quum sit invincibilis, omnino utique inculpabilis est ; minime vero sequitur ideo eum excusari qui agendo se exponat periculo transgrediendi legem quum possit ab actu abstinere. Res illustratur exemplo venatoris sagittam mittentis. Et in Tractatu *de Conscientia* videbimus hujusmodi actiones aliquando a culpa immunes esse, aliquando non.— Nec contrarium infertur ex propositione 2ª ab Alexandro VIII. damnata. [281–284.]

EX DICTIS RESOLVES 1° pueros, qui sine ullo conscientiae angore faciant ea quae illicita sint, *materialiter* tantum, non autem *formaliter*, peccare. Nec postea tenentur haec confiteri. [285, 1°.]

2° Adulterii, non autem incestus, reum esse conjugem qui peccet, v.g. cum uxoris sorore, quam tamen ejus sororem esse nullo modo suspicatur. [285, 2°.]

3° Confessario, medico, vel judici, qui, etsi advertat se carere scientia ad officio suo fungendum requisita, nihilominus pergat munus exercere, diligentia debita non adhibita ad scientiam acquirendam, imputandos esse errores quos ex hujusmodi agendi modo secuturos aliquo modo advertat.—Supra satis dictum est de iis qui non advertant se scientia requisita carere. [285, 3°.]

§ 1. *De Concupisentia.*

QUAER. 1°. *Quid sit concupiscentia ?*

RESP. Hoc nomine aliquando designatur deordinata inclinatio appetitus, sive inferioris sive superioris, qua fertur homo in ea quae rectae rationi adversantur : hic vero intelligitur *motus appetitus sensitivi in bonum sensibile tendentis.* Itaque agitur (*a*) de appetitus *actu*, et quidem (*b*) sive objectum, circa quod versatur, est rationi difforme, sive non. [286–288.]

QUAER. 2°. *Quomodo distinguatur concupiscentia ?*

RESP. 1°. Ratione *intensitatis*, est *gravissima*, quae tollit ; *gravis*, quae notabiliter impedit ; ac *levis*, quae vix perturbat, usum rationis. [289-291.]

RESP. 2°. Ratione *modi quo pendeat* ex actibus *voluntatis*, est *antecedens*, quae, neque *in se*, neque *in causa*, est voluntaria ; et *consequens*, quae, sive *in se*, sive *in causa*, voluntaria est. Quae illustrantur v.g. ex delectatione carnali, aut ex desiderio vindictae. [292.]

PRINCIPIUM I. *Concupiscentia* antecedens, *quo gravior est et vehementior, eo magis imminuit voluntarium, et ideo peccatum; immo potest, si* gravissima *sit, a peccato omnino excusare.*

Ratio est quia quo magis impeditur usus rationis, (etsi propensio ipsius voluntatis augetur), eo magis minuitur voluntarium. [293–296.]

PRINCIPIUM II. *Concupiscentia* consequens, *eodem modo quo* antecedens, *minuit aut tollit voluntarium* in se : *neque tollit vero neque minuit voluntarium* in causa.

Ratio prioris partis est quia concupiscentia, sive *antecedens* est, sive *consequens*, omnino eodem modo in voluntarium influit. Ratio alterius partis est quia in concupiscentia *consequenti* potest ipse defectus voluntarii esse *in causa* omnino voluntarius. Quae omnia respiciunt non solum peccata, sed et actus virtutis. [296–301.]

EX DICTIS RESOLVES 1° minus delinquere eos qui non peccent nisi gravi passione victos. Vix unquam tamen evenit ut concupiscentia sic malitiam mortalem tollat. [302, 1°.]

2°. Facilius concedi debere dispensationes votorum quae, passione impellente, emissa sint. [302, 2°.]

Non hic, sed in Tractatu *de Peccatis*, agendum est de concupiscentia quatenus, priore sensu exposito, designat fomitem peccati. [303.]

§ 3. *De Metu.*

QUAER. 1°. *Quid sit metus ?*

RESP. Est *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio*, seu, aliis verbis, est *mentis trepidatio exorta ex apprehensione mali instantis vel futuri.* Hic agitur non solum (*a*) de mentis trepidatione qua facultates animi perturbantur adeo ut agens saltem aliquatenus incapax fiat eliciendi actum humanum, sed insuper (*b*) de ea qua solent homines ita animo affici ut ob malum apprehensum moveantur ad agendum alio modo quam egissent si metus abfuisset. [304–305.]

QUAER. 2°. *Quomodo distinguatur metus ?*

RESP. Est 1° *gravis* vel *levis.* Quae divisio intelligi potest aut *subjective* aut *objective.* [306–308.]

Spectatus *subjective*, seu ratione *affectionis* reipsa in mente exortae, metus in *gravem* et *levem* distinguitur eodem sensu quo ita distinguitur concupiscentia; quo sensu hic potest esse sermo quoque de metu *gravissimo.* Metus *subjective gravis* potest etiam intelligi de eo quo quis notabiliter animo afficitur adeo ut sic moveatur ad agendum in re gravi. [309-310.]

Spectatus *objective*, seu ratione *mali ex quo apprehenso* exortus est, metus dicitur *gravis* et *levis* aut *absolute* aut *respective.* [311.]

Absolute gravis dicitur si tria concurrunt: 1° *malum* ex se *grave;* quod 2° apprehenditur ut *certo* aut *probabiliter metuenti eventurum*, sive *directe*, sive *indirecte;* atque 3° sic apprehenditur *ex ratione gravi.* Dicitur *absolute levis* si vel unum ex his tribus deest. [312–314.]—Metus *absolute gravis* solet insuper dici metus *justus*, *probabilis*, *cadens in virum constantem.* E contrario potest metus *absolute levis* designari verbis his contrariis. [315.]

Respective gravis dicitur metus si, etiamsi *absolute levis*, tamen, ex triplici capite supra exposito, gravis est relative ad aliquod genus hominum. E contrario metus *respective levis* dicitur qui, etiamsi *absolute gravis*, tamen, relative ad aliquod hominum genus, levis est ex uno aut altero capite ex tribus supra expositis. [316.] Metus *respective gravis*, (sicut supra dictum est de metu *absolute* gravi,) *justus*, *probabilis*, immo etiam *cadens in virum constantem*, dici solet. In metu *respective gravi* aestimando, ratio habenda est non solum aetatis, et sexus, sed etiam *indolis*, ipsius metuentis adeo ut inspici debeat an *ille* quidem *rationabiliter* timeat in iis rerum adjunctis in quibus versatur. [317-319.]

Ex dictis patet metum qui *objective* omnino *levis* sit, tum *absolute*, tum *respective*, posse *subjective gravem* esse, immo et *gravissimum*. [320.]

2° est *ab extrinseco* vel *ab intrinseco*. Quam divisionem alii aliter intelligunt. [321.]

Primo igitur alii metum *ab extrinseco* dicunt eum qui provenit ex causa *externa*, sive *libera*, sive *necessaria* seu *naturali :* quo sensu *ab intrinseco* dicitur metus qui provenit ex causa *interna*. [322.]

Secundo vero alii, inspicientes potius influxum metus in ea quae ob metum fiunt, *ab extrinseco* dicunt metum qui *ab alio*, sive juste sive injuste, *incutitur eo fine ut metuentem moveat* ad aliquid faciendum aut omittendum ; atque *ab intrinseco* dicunt eum qui adest quum *metuens ipse aliquid ultro eligit* ad evitandum malum quod apprehendit alioquin esse eventurum. [323.]

3° Est *antecedens* vel *concomitans :* quae divisio eodem sensu sumitur ac 5ª divisio ignorantiae supra tradita. [324.]

Denique hic loqui solent theologi de metu *reverentiali*, qua quis timet ne superiores habeat offensos : potest esse *gravis*, *levis*, etc., prout adsunt conditiones supra recensitae. [325.]

PRINCIPIUM I. *Voluntaria sunt ea quae ex metu quantumvis* gravi *fiunt, dummodo metus non sit* gravissimus, *seu adeo vehemens ut rationis usum omnino perimat.*

Ratio est quia metus, nisi sensu exposito *gravissimus* sit, non tollit advertentiam intellectus, neque voluntatem privat facultate se determinandi in hanc vel illam partem. [326-328.]

PRINCIPIUM II. *Metus* subjective gravis *quo gravior est et vehementior, eo magis imminuit voluntarium et ideo peccatum : immo si* gravissimus *sit voluntarium tollit, et ideo omnino excusat a peccato.*

Ratio ex ipsis terminis patet. Notandum vero est raro evenire ut metus ita minuat voluntarium ut malitiam mortalem tollat. [329-331.]

PRINCIPIUM III. *Metus* subjective levis *non tollit, immo vix minuit, voluntarium aut peccatum.*

Ratio ex terminis patet. [332-333.]

Duobus modis fieri potest ut quis ex metu agens a peccato, vel omnino, vel aliquatenus, excusetur, etiamsi non ita animo afficiatur ut actus non sit perfecte humanus. Sic 1° potest fieri ut

omnino cesset legis obligatio ; de quo agendum erit in Tractatu *de Legibus :* ac 2° etiamsi legis obligatio maneat, tamen aliqua saltem venia dignus est qui legem non transgrediatur nisi metu urgente : de quo hic agendum est. [334-336.] Huc igitur spectat.

PRINCIPIUM IV. *Quae ex metu fiunt, etiamsi sint* simpliciter voluntaria, *plerumque sunt* involuntaria secundum quid.

Exposito sensu quo hic sumitur locutio *voluntarium simpliciter* (quo quidem significatur rem esse *de facto* volitam), principium ex eo demonstratur quod ea quae ex metu fiunt plerumque inspiciuntur ut mala, adeo ut voluntas ea aliquo modo aversetur neque ea amplectatur nisi propter metum. [337-339.]

De axiomate quo dicitur metum *causare involuntarium secundum quid*, notanda sunt (*a*) istud *involuntarium secundum quid* non provenire ex metu, sed ex amore boni oppositi, ut v.g. in mercatore merces projiciente ; itaque (*b*) fieri posse ut actus ex metu fiat, omnino tamen ab ista involuntarietate immunis ; immo etiam (*c*) fieri posse ut metus valeat involuntarietatem istam tollere, quod fit quum contritio elicitur ex metu gehennae. [340-342.]

In hoc Tractatu non agitur nisi de una et altera ex divisionibus supra traditis. [343.]

§ 4. *De Vi seu Violentia.*

QUAER. 1°. *Quid sit vis seu violentia ?*

RESP. Est *impulsio ab extrinseco illata, cogens ad aliquid agendum aut patiendum, contra inclinationem ejus cui vis infertur.* Quae sic fiunt, dicuntur *violenta. Violentia* et *coactio* distingui solent ut genus et species, adeo ut *coactio* (et *coactum*) non dicatur nisi de agente animato. In Tractatu *de Actibus Humanis*, eodem recidunt. [344-345.]

QUAER. 2°. *Quaenam conditiones ad* violentum *requirantur ?*

RESP. Tres : 1° ut vis inferatur a principio *extrinseco ;* 2° ut is cui inferatur nihil conferat, ne volendo quidem pati ; 3° ut contra obsistat, si non *actualiter*, saltem *interpretative.* Nec desunt qui 4° insuper (sed gratis, et omnino contra rei veritatem) exigant ut vis inferatur a causa libera. [346]. Ut adsit 3ª conditio, *per se* non requiritur ut is, qui vim patitur, *externe*, seu viribus corporis, resistat, nisi vis ejusmodi est ut resistendo possit eam exsuperare ; *per accidens* vero hoc requiritur quantum necesse est ad praecavendum periculum scandali, consensus in ea quae fiunt, etc., etc. [347.]

QUAER. 3°. *Quomodo differant vis et metus ?*

RESP. Tribus modis : etenim 1° vis est compulsio ab extrinseco illata, quae in animum non agit ; 2° vis non agit nisi quamdiu reipsa infertur ; 3° quae fiunt vi cogente sunt omnino involuntaria [348.]

QUAER. 4o. *Quotuplex violentia (et ideo violentum) distinguatur?*

RESP. Duplex distingui solet; *absolutum* seu *simpliciter* dictum, quod vi tantum extrinseca efficitur, voluntate nullo modo consentiente; et *conditionatum* seu *secundum quid*, ad quod agens vi externa movetur, ita tamen ut, quum aliquatenus restiterit, denique cedat. Haec tamen divisio reipsa locum hic non habet: secundum enim membrum reipsa non respicit nisi ea quae ex *metu*, et quidem voluntarie, fiunt. [349–351.]

PRINCIPIUM I. *Voluntatis actus nullatenus possunt cogi.*

Ratio patet ex ipsa definitione.—Neque obstat Proverb. xxi. 1; etenim ne ipse quidem Deus, etsi omnipotens, repugnantia efficere potest; "inclinat" igitur voluntatem, non coactione, sed immutando eam et sic efficiendo ut jam velit quod nolebat antea. [352-354.]

PRINCIPIUM II. *Cogi tamen possunt actus aliarum potentiarum quae voluntatis imperio subduntur.*

Ratio est quia quum actus hujusmodi non fiant ab ipsa voluntate, non est cur perfici nequeant voluntate omnino invita [355-356.]

HAEC duo principia possunt sic enuntiari: Voluntatis *actus eliciti* non possunt cogi; cogi vero possunt actus *imperati*, seu potius *imperabiles*. [357.]

EX DICTIS RESOLVES 1° actus externos qui omnino, seu *simpliciter*, ex violentia fiant, voluntarios non esse nec peccata. [358, 1°.]

2° Non peccare feminam quae, omnino invita, vel stuprum patiatur. [358, 2°.]

3 Actus qui sint violenti tantum *secundum quid*, plus minusve voluntarios esse et liberos. [358, 3°.]

4°. Graviter peccare feminas vim patientes si, v.g. ob pusillanimitatem, minus quam par sit resistant. [358, 4°.]

CAPUT III.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

Hic agendum est 1° de *essentia*, 2° de *fontibus*, moralitatis. [459.]

ARTICULUS I.

DE ESSENTIA MORALITATIS.

QUAER. 1°. *Quid significetur nomine* moralitatis *actuum humanorum?*

RESP. Illa actuum qualitas qua alii ex iis constituuntur laude, alii vituperio, alii nec laude nec vituperio, digni. [360.]

QUAER. 2°. *Quid sit moralitas actuum humanorum?*

RESP. Tres sunt sententiae praecipuae: 1ª eam reponit in *voluntarietate*, 2ª in *libertate*, 3ª in *relatione* actus *ad quandam regulam*. Quam tertiam esse veram sententiam ostenditur tum ex eo quod actus concipitur voluntarius et liber antequam concipitur moralis, tum ex eo quod, voluntarietate ac libertate iisdem manentibus,

moralitas potest multiplicari ac variari. Constat tamen libertatem esse *conditionem sine qua non* possit actus moralis esse. [361–366.]

QUAER. 3°. *Quaenam sit* regula *moralitatis?*

RESP. Duae sunt sententiae praecipuae: 1ª eam reponit in *rationali natura*, 2ª in *lege aeterna Dei*. Hanc alteram sententiam esse veram ostenditur ex eo quod regula moralitatis habere debet vim obligandi, jamvero natura rationalis, quum non sit sui superior, se obligare nequit, neque alia est regula universas creaturas obligans nisi lex aeterna Dei. Hic sermo est non solum de lege *praecipiente* ac *prohibente*, sed etiam de *suadente* seu *consulente*, immo etiam de *permittente*. Actus humani sunt boni, mali, vel indifferentes, prout regulae huic sunt *conformes positive*, *difformes*, aut *conformes tantum negative*. [367–372.]—*Intrinsece* boni vel mali dicuntur actus qui *ex sua natura* sint regulae moralitatis conformes vel difformes; *extrinsece* vero boni vel mali dicuntur ii qui non ita fiunt nisi *ex libero actu legislatoris*, sive Dei, sive hominis.—Ideoque horum bonitas aut malitia tolli potest; illorum vero immutabilis est. [373–376.]

OBJICITUR contra doctrinam traditam, 1° ex eo quod quaedam essent bona vel mala, etiamsi non esset lex divina.

RESP. Moralitas proprie et *formaliter* dicta sine lege concipi nequit. Etenim sine lege potest esse moralitas tantum improprie dicta, adeo ut quaedam dicantur *radicaliter*, seu *exigitive*, bona vel mala, eo sensu quod ex sua natura *exigant* ut, auctore naturae praecipiente, consulente, aut prohibente, *formaliter* bona aut mala fiant. [377–381.]

OBJ. 2° Ex axiomate quo dicitur non omnia, sed quaedam tantum, esse *mala quia prohibita*.

RESP. Hoc verum est si agitur de prohibitionibus *legibus positivis* latis: si vero agitur de *lege aeterna* non est verum, nisi sermo, sensu jam exposito, sit de malitia *radicali* seu *exigitiva*, non autem de malitia *formali* de qua hic agitur. [382–384.]

OBJ. 3° Ex eo quod plura sunt mala quae prohibentur legibus tantum humanis.

RESP. Et haec quidem, lata lege humana, *indirecte* seu *mediate* adversantur aeternae legi Dei. [386-387.]

QUAER. 4°. *An alia sit regula moralitatis praeter aeternam legem Dei?*

RESP. Est regula *secundaria*, quae ab aliis dicitur *primariae regulae applicatio*. Haec est ratio humana agenti manifestans actum esse primariae regulae conformem vel difformem. Ex ea provenit moralitas quae *subjectiva* seu *formalis* dicitur, ut distinguatur a moralitate *objectiva* seu *materiali*. Neque censendum est hanc moralitatem *subjectivam* non pendere ex lege aeterna Dei; duplex enim distinguenda est ea lex; *antecedens*, qua Deus aliquid approbat, prohibet, aut permittit, quasi *primario* et *per se*, id est, secluso agentis errore, ignorantia, dubio, aut alia indebita rei

apprehensione ; et *consequens*, quae respicit actum quasi *secundario* et *per accidens*, id est, posito agentis errore aut alia indebita rei apprehensione. Neque tamen lex legi contradicit ; nam lex *antecedens* non ita v.g. prohibet actum ut in culpam imputetur agenti cui lex non sit satis manifestata : neque lex *consequens* tollit prohibitionem legis *antecedentis*, sed tantum declarat actum posse hic et nunc sine culpa fieri ab agente cui lex prohibens satis manifestata non sit. Non ideo tamen desinit ejusmodi actus esse *materialiter* malus ; est enim objectum, seu *materia*, legis eum sensu exposito prohibentis. [388-393.]

QUAER. 5°. *Quomodo* volita *debeat esse actionis bonitas aut malitia, ut possit agenti imputari ?*

PRAENOTANDUM est moralitatem actus posse vel *directe* volitam esse, vel *indirecte ; directe*, si appetitur expresso voluntatis actu ; *indirecte* [394-395.]. Hoc praemisso,

RESP. 1°. Ut *malitia* imputetur, sufficit esse vel *indirecte volita ;* nam qui vel ita agit prohibentem legem parvi pendit. [396.]

RESP. 2°. Ut *bonitas* imputetur, debet esse *directe volita*, sive ut *finis*, sive saltem ut *medium ;* secus enim est bonitas neglecta, quae sane laudabilem non reddit actum negligentis. Ita fere omnes. [397].—Satis vero est si actus appetatur *sub ea ratione qua est honesta.* [398].—Etiam sufficit si modo generali appetatur *ut opus virtutis*, etc. : hoc tamen intelligendum est tantum de bonitate actui *intrinseca.* [399-400].

QUAER. 6°. *An actus externus augeat bonitatem vel malitiam actus interni ?*

PRAENOTANDUM est quaestionem esse 1° de actu *efficaci* ; 2° de *moralitate*, seu de bonitate aut malitia morali, non de aliis effectibus, sive bonis, sive malis ; 3° de moralitate *formali* seu *subjectiva ;* 4° de augmento quod fit *per se*, non de eo quod fit *per accidens*, quum actus internus, occasione actus externi, *intensior* fit, *longius* durat, aut *multiplicatur.* [401-410.] His praenotatis,

RESP. *Negative*, cum Thomistis (et communiore sententia theologorum). [411.]

ARGUMENTANTUR Thomistae 1° ex eo quod actus externus, quum non sit liber, nisi tantum *denominative*, non est formaliter bonus nec malus ; et ideo non potest interno actui moralitatem hujusmodi tribuere. Quod confirmatur ex exemplo *effectuum* qui ex actione voluntaria profluunt. [412-413.]

2°. Afferunt verba SS. Patrum, ut v.g. S. Augustini et S. Bernardi. [414.]

3°. Citant textus S. Scripturae, ut v.g. Gen. xxii. 16. et Matt. v. 28. [415.]

ARGUMENTANTUR e contrario Scotistae 1° ex eo quod actus externi et interni prohibentur diversis praeceptis Decalogi.—Quod tamen satis explicari videtur ex eo quod aliter existimassent Judaei desideria haec interna non prohiberi : ac notandum est,

non in omnibus, sed in duobus tantum peccatis (et quidem de rebus quae solent ab hominibus maxime concupisci), sic diversis praeceptis prohiberi peccata interna et externa. Confirmatur haec expositio ex eo quod error iste, quamvis duobus praeceptis Decalogi sic plane contrarius, reipsa apud Judaeos tempore Christi percrebuit. [416–419.]

2°. Argumentantur ex eo quod in altera sententia aeque graviter peccaret aut aeque mereretur, qui vellet mille homines occidere, aut mille alere pauperes, ac si reipsa haec facerent.—Quibus responderi potest rem ita se habere si agitur de voluntate *vere efficaci*, atque de iis tantum quae *per se* fiunt ex actu externo perficiendo; reipsa tamen rem prorsus aliter evenire, quum (*a*) ejusmodi voluntates non soleant esse efficaces, atque (*b*) malitia ac bonitas actuum vel efficacissimorum soleant in actibus externis *per accidens* saltem augeri. [420–423.]

3°. Argumentantur ex obligatione peccati externi confitendi.—Hoc tamen argumentum diluitur, tum (*a*) ex eo quod obligatio satis ex rationibus *extrinsecis* explicari potest, tum (*b*) quia saltem *per accidens* solet in peccato externo esse *augmentum* malitiae, ac denique (*c*) quia obligationis ratio sufficiens invenitur in Christi voluntate, qui statuit id omne confitendum esse quod rationem habeat peccati, et quidem ideo fortasse quia nisi lex hujusmodi imponeretur, non satis prospiceretur integritati confessionis, ne eo quidem modo quo exigerent rationes priore et secundo loco expositae. [424-429.]

ARTICULUS II.

De Fontibus seu Principiis Moralitatis.

Quaer. 1°. *Quid significetur nomine* fontium *moralitatis?*

Resp. Sic appellantur ea actuum elementa quae, prout regulis morum conformia aut difformia sunt, efficiunt ut actus sint boni, mali, vel indifferentes. [430.]

Quaer. 2°. *Quot sint fontes moralitatis?*

Resp. Tres: *objectum*, *circumstantiae*, *finis*. Etenim in actu deliberato, quum quis ob finem agit, voluntas duplex distingui potest; (*a*) voluntas assequendi *finem*, ac (*b*) voluntas *medium* adhibendi (quae duo sane inveniri possunt in uno eodemque voluntatis actu); porro in actu quatenus circa *medium* versatur, adhuc distingui possunt *substantia* actus et *circumstantiae;* ad *substantiam* pertinet id omne quod mutari nequit quin actus ideo censeatur *diversus* fieri, qui *nomine diverso* appellatur; adjuncta cetera dicuntur *circumstantiae*. Sic igitur distinguuntur tres fontes moralitatis; nam *objectum*, sicut hic intelligitur, nihil aliud est quam actus *substantia*, prout distinguitur a *fine* et *circumstantiis* [431–435.]

Itaque fieri potest ut ea quae *circumstantiae* sint, si actus inspiciatur sub una ratione, pertineant ad *substantiam* seu *objectum*,

si alio modo inspiciatur : quod saepe evenit quum inspicitur ut actus *virtutis* aut *vitii*. Tunc dicuntur *circumstantiae ingredi rationem objecti moralis.* [436–439.]

§ 1. *De Objecto.*

QUAER. 1°. *Quid sit* objectum *actus humani ?*

RESP. *Objectum* in genere est *id quod voluntati objicitur.* Hic sermo est de objecto *proximo*, et quidem in sensu strictiore, quatenus designat actus *substantiam : objectum remotum* est *id circa quod* objectum proximum *versatur.* [440-442.]

QUAER. 2°. *Quomodo hic distinguatur objectum proximum ?*

RESP. Est *bonum*, *malum*, vel *indifferens*, prout conforme vel difforme est regulis morum : atque potest esse bonum aut malum vel *intrinsece*, vel *extrinsece.—Intrinsece* quidem *mala* nonnunquam ulterius distinguuntur in ea (*a*) quae adeo recto ordini repugnent ut nunquam possint licite fieri, et ea (*b*) quae, pro circumstantiis diversis, aliquando illicita, aliquando licita, sint : hoc tamen minus accurate profertur ; quidquid enim reipsa *intrinsece malum* est, licitum fieri potest nunquam. [443-455.]

PRINCIPIUM. *Ex morali objecto honesto aut inhonesto desumitur primaria actus moralitas.*

Ratio est quia moralitas quae actui ex objecto inest concipitur ante omnem aliam quae sive ex fine sive ex circumstantiis provenit. —Hic sermo est (*a*) de objecto *morali*, quod constat ex iis omnibus quibus actus ita constituitur ut ad aliquam virtutem aut vitium pertineat ; ideoque (*b*) de objecto *honesto* aut *inhonesto ;* denique (*c*) de objecto *proximo.* [456-460.]

§ 2. *De Circumstantiis.*

QUAER. 1°. *Quid sit* circumstantia *actus ?*

RESP. Circumstantiae sunt adjuncta sine quibus substantia actus concipi potest. Ad septem capita revocantur, quae recensentur versiculo :—

Quis, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando.* [461 462.]

PRINCIPIUM. *Actus humanus moralitatem desumit ex circumstantiis.*

Ratio est quia ex circumstantiis, sicut ex aliis elementis, possunt actus conformes aut difformes esse regulis morum. [463, 464.]

QUAER. 2°. *Quot circumstantiarum genera sint hic distinguenda ?*

RESP. Tria : etenim aliae 1° sunt circumstantiae quae ad actus moralitatem *nihil conferunt ;* aliae 2° quae actum *bonum aut malum reddunt ;* aliae 3° sunt quae actus *bonitatem aut malitiam* vel *augent* vel *minuunt.* Ex hoc tertio genere aliae sunt (*a*) quae actui *novam speciem* bonitatis aut malitiae tribuunt ; aliae (*b*) quae

actum *in eadem specie* bonitatis aut malitiae relinquunt, ex quibus denique alia (*a*) bonitatem aut malitiam *augent*, aliae (*b*) *minuunt*, et quidem, in utroque casu, vel *leviter*, vel *graviter* seu *notabiliter*. [465-468.]

Porro *notabiliter* aggravans censetur circumstantia in materia *quantitativa*, quando seorsim sufficeret ad peccatum mortale ; in aliis vero materiis, quando notabiliter excedit ordinarium modum in iis peccandi. [469.]

QUAER. 3°. *An circumstantia leviter mala corrumpat actum alioquin bonum !*

RESP. Controvertitur. *Affirmative* respondendum videtur : de quo plura infra videbuntur. [470.]

§ 3. *De Fine.*

QUAER 1°. *Quid sit finis ?*

RESP. Est *illud ad quod assequendum opus ordinatur.* Finis *operis* est ille ad quem opus ex sua natura tendit : finis *operantis* ille est quem agens sibi proponit. Hi duo possunt in eundem convenire. Prior aliquando dicitur finis operi *intrinsecus ;* alter, finis operi *extrinsecus.* Hic agitur de fine *operantis.* [471-474.]

QUAER. 2°. *Quomodo distinguatur* finis operantis ?

RESP. 1° Est *proximus*, qui intenditur nullo alio fine interposito ; vel *remotus*, qui intenditur mediante alio fine. [475-476.]

2°. *Ultimus*, in quo agens se sistit, non referens eum ad finem ulteriorem ; vel *non ultimus*, seu *intermedius*, qui appetitur propter finem ulteriorem, et ideo rationem habet tum *finis*, tum *medii.*— Finis potest *ultimus* esse *simpliciter*, vel *secundum quid*, prout *absolute*, vel tantum *in aliquo ordine rerum*, ultimus est.—Finis est *positive* ultimus, si excludantur fines ulteriores ; *negative*, si finis ulterior, etsi non intenditur, tamen non excluditur. [477-479.]

3° *Totalis*, si agens propter eum solum finem agit ; vel *partialis*, si agit simul ob alium finem : atque *partialis* finis est vel *primarius* vel *secundarius*, prout agens praecipue ob eum agit, vel ita ut magis moveatur intentione finis alius. Fieri potest ut finis, etsi secundarius, tamen sit *causa* agendi, eo sensu quod ita agentem moveat ut, fine illo deficiente, non fecisset opus de quo agatur. [480, 481.]

PRINCIPIUM. *Actus humanus moralitatem desumit ex fine.*

Ratio est quia ex fine, sicut ex objecto et circumstantiis, potest actus conformis vel difformis esse regulis morum. [482-484.]

QUAER. 3°. *Quomodo ex fine pendeat moralitas actus alioquin* indifferentis ?

RESP. 1°. Si finis est *bonus*, actus ex eo bonus est : tunc finis dicitur *ingredi rationem objecti moralis.* [485-488.]

RESP. 2°. Si finis est *malus*, actus ex eo malus est : hoc quoque casu dicitur finis *ingredi rationem objecti moralis.* [489.]

RESP. 3°. Si finis sit *indifferens*, ex doctrina tenenda in controversia Thomistarum et Scotistarum de actibus indifferentibus pendet utrum actus dicendus sit malus an indifferens. [490.]

QUAER. 4° *Quomodo ex fine pendeat moralitas actus alioquin* boni?

RESP. 1° Si finis est *bonus*, bonitatem duplicem habere potest actus; neque enim bonitas quam habet ex objecto et circumstantiis tribuitur agenti solummodo quatenus actus intendatur ratione sui, ut *finis intermedius*, sed etiam quatenus appetitur formaliter *ut medium*, dummodo ejus bonitas sit fundamentum utilitatis *ut medii* ad finem assequendum. [491–501.]

RESP. 2° Si finis est *malus*, actus omnino malus est; quod ostenditur 1° ex Matt. vi. 5, et 22, 23; 2° ex eo quod regulis morum plane difforme est medium quantumvis ex se bonum adhibere ad malum finem assequendum. [501-504.]

RESP. 3° Si finis sit *indifferens*, fere omnes, contra Scotistas quosdam, docent actum non esse bonum; neque enim *directe* intenditur bonitas quam ex se habet, quum haec non sit fundamentum utilitatis ejus ad hujusmodi finem assequendum. [506-511.]—Immo malum esse hujusmodi actum docent Thomistae, innixi praesertim principio suo fundamentali, infra discutiendo, de actibus qui non referantur in finem honestum; atque alia insuper ratione, quam amplectuntur quoque nonnulli e schola Scotistarum, quod nempe non potest medium bonum ob finem tantum indifferentem adhiberi sine quadam deordinatione; haec tamen ratio, nisi agitur de actibus quibusdam qui de rebus sacris versantur, non videtur satis ostendere actum esse moraliter malum seu peccatum. [512–516.]

QUAER. 5°. *Quomodo ex fine pendeat moralitas actus alioquin* mali?

RESP. 1°. Si finis est *malus*, malitiam duplicem habet actus; quum duplici ex ratione difformis sit regulis morum. [517–519.]

RESP. 2°. Si finis sit *indifferens*, actus malus est, quum saltem ex objecto aut ex circumstantiis sit regulis morum difformis. [520.]

RESP. 3°. Si finis est *bonus*, tamen actus adhuc malus est. Quod ostenditur 1° ex 1 Reg. xv. 11, et ex Rom. iii. 8; 2° ex eo quod regulis morum plane difformis est actus quo quis medium malum adhibet ad finem quemvis, etsi ex se bonum, assequendum. Neque contrarium inferri potest ex Matt. vi. 22; quantumvis enim *finis* ex se sit bonus, tamen *finis intentio*, ut ostendit ratio jam tradita, mala est. [521–527.]

Etsi vero finis bonitas non tollit, certo tamen minuit, malitiam; non ita vero ut peccatum de mortali fiat tantum veniale. [528–530.

QUAER. 6°. *An possit actus simul esse bonus et malus?*

PRAENOTANDUM est 1° quaestionem non esse de *externo* actu quatenus *ex duabus aut pluribus voluntatibus pendeat:* immo 2° fere omnino esse de actu *interno:* ac 3° de *uno* eodemque actu: in quo quidem 4° inveniatur *circumstantia* mala, aut malus *finis:* dummodo 5° circumstantia aut finis de quo agitur sit *leviter* tantum

malus: ac 6° si de *fine* agitur, sit tantum *partialis*, immo et *secundarius;* denique 7° praemittendum est quaestionem esse de *morali* actus *bonitate*, minime de merito ejus supernaturali. [531-539.] Quibus praemissis,

RESP. *Negative.* Ita TT. communius: sunt tamen duae theologorum sententiae. [540-541.]

Sententia *prima* affirmat. Argumentantur ejus auctores 1° ex eo quod alioquin vix ullus actus bonus, vel in viris sanctissimis, inveniri possit; argumentum confirmant ex verbis S. Gregorii Magni et aliorum SS. Patrum: argumentantur 2° ex eo quod *bonus* censeri debeat hujusmodi actus saltem quoties quis praeceptum sic adimplet, quum sane *melius* sit praeceptum adimplere quam transgredi. [541-545.]

Sententia *altera* negat. Sententiae hujus auctores argumentantur 1° ex 1 Cor. v. 6; 2° ex doctrina SS. Patrum, atque ex axiomate: *Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu;* 3° et quidem praecipue, ex eo quod omnino censeri nequit Deum istiusmodi agendi modum approbare; 4° ex eo quod aliter fieri posset ut quis eodem actu promereretur poenam purgatorii et pro eadem satisfaceret. [546-531.]

Ad argumenta sententiae prioris sic respondent: ad 1m, exponendo quaestionem non esse de duobus actibus, qui simul esse possint, sed de actu uno eodemque; atque insuper hic animadvertunt nihil obstare quominus quis *indirecte* et *negative* ad agendum moveatur affectu quem (*a*) apprehendat solum per intellectum, aut a fortiore (*b*) quem amplectatur per actum voluntatis omnino distinctum ab eo ad quem *indirecte* et *negative* sic moveat: ad 2m respondent distinguendo inter haec duo, actum (*a*) esse *meliorem*, quod omnino negant, ac (*b*) esse *minus malum*, quod plane agnoscunt. [552-561.]

QUAER. 7°. *Quo sensu intelligendum sit axioma:* Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu?

PRAENOTANDUM est 1° *causam* hic significare complexum trium elementorum; objecti, finis, circumstantiarum: 2° eam *integram* censeri quoties actus (*a*) sit ex aliquo capite bonus, neque (*b*) aliunde vitietur: 3° vocem *axioma* hic sumi, non ad *primum*, ut aiunt, *principium*, sed ad *formulam* quandam, designandam. [562-566.] His praemissis,

RESP. Distinguendo casus plures qui concipi possunt, prout objectum, finis, aut circumstantiae, sint boni, mali, aut indifferentes. [567-568.]

Sic 1° quum objectum *malum* est, casus novem distingui possunt in quibus quidem omnibus actus plane malus est. [569-570.]

Deinde 2° quum objectum *bonum* est, adhuc novem distingui possunt casus. Si (*a*) bona sunt alia duo elementa, actus bonus est: si (*b*) sunt indifferentia, actus quidem non potest censeri bonus, an vero malus censendus sit dijudicandum erit ex doctrina tenenda de actibus in individuo indifferentibus: si (*c*) sunt mala, actus malus est: si (*d*, *e*,) unum ex iis malum est, alterum bonum, adhuc malus est actus: idem a fortiore dicendum est si (*f*, *g*,) unum malum est

alterum, non bonum, sed indifferens : si (*h*) finis bonus est, circumstantiae vero indifferentes, actus est bonus : si denique (*i*) finis indifferens est, etsi circumstantiae sint bonae, judicandum est de actu sicut in simili casu (*b*) jam tradito. [571-579.]

Ac 3° quum objectum *indifferens* est, eodem modo sunt casus novem distinguendi, qui omnes, ut videtur, resolvendi sunt modo jam exposito. [580-587.]

QUAER. 8°. *An possit esse actus indifferens ?*

PRAENOTANDUM est 1° actum dici spectari *in specie*, si inspiciatur tantum ejus substantia : *in individuo*, si inspiciantur insuper finis et circumstantiae ; 2° quaestionem esse tantum de actu spectato *in individuo*, neque enim dubium est quin possit esse actus *in specie* indifferens ; insuper 3° quaestionem non esse de *supernaturali* ordine, sed de ordine *naturali*, seu de actuum bonitate ac malitia *morali ;* 4° sententiam Thomistarum in eo inniti quod propugnent *obligationem referendi actus* ex se indifferentes *in ulteriorem finem honestum ;* quid vero de hac obligatione doceat ipse S. Thomas, infra videbitur ; 5° sententiam Thomistarum intelligendam esse sensu omnino stricto, de fine non tantum *rationali*, sed et *honesto :* 6° quaestionem esse de eo quod possit esse *per se :* vix enim dubium potest esse quin possit saltem *per accidens* esse actus indifferens, et quidem tribus modis, (*a*) in actibus omnino *indeliberatis*, (*b*) in iis quae fiant sine advertentia *moralitatis*, atque (*c*), ut fere omnes consentiunt, in actibus eorum qui *probabilem*, aut saltem eorum qui *probabiliorem* esse judicent sententiam Scotistarum : 7° Thomistas non ita obligationem propugnare, ut *actualem* semper exigant actuum relationem ; *virtualem* enim relationem sufficere agnoscunt ; ita tamen ut alii ex iis loqui videantur de relatione *habituali*, alii de relatione *virtuali* proprie dicta, inter quos vix duo inveniri possint qui consentiant in exponendo quoties debeat intentio actualis renovari, ut censeri possit sic *virtute* permanere ; 8° denique notari debet S. Thomam ideo solum negare actus esse indifferentes quod, obligatione quam propugnant Thomistae omnino praetermissa, moraliter *bonos* doceat esse actus de quibus hic controvertitur. [588-605.] Quibus praemissis, exponenda sunt argumenta utriusque scholae tum Thomistarum, tum Scotistarum.

ARGUMENTA THOMISTARUM. Argumentantur 1° ex eo quod homo debeat *ut homo* agere ; ideoque, aiunt, ob finem *honestum :* quod confirmant ex eo quod agere ob finem *sensibilem*, est agere more brutorum. [606.]

2°. Argumentantur ex Matt. xvii. 26, ubi (*a*) declarari aiunt *peccaminosum* esse *verbum otiosum*, quod quidem (*b*) exponunt esse verbum prolatum *sine fine honesto*, atque (*c*) inferunt omnino idem intelligendum esse de *omnibus operibus*. [607-611.]

3°. Argumentantur ex propositionibus 8ª et 9ª ab Innocentio XI. damnatis, in quibus, aiunt, nulla inveniri potest damnationis ratio nisi quod in iis affirmetur licitum esse actum ex se indifferentem quod in honestum finem ulteriorem non referatur. [612, 613.]

4°. Denique argumentantur nonnulli ex 1 Cor. x. 31, ubi aiunt praeceptum tradi agendi semper "in gloriam Dei," quod ne *implicite* quidem fieri censeri potest, nisi actus omnes referantur in finem honestum. [614, 615.]

ARGUMENTA SCOTISTARUM. Scotistae sententiam suam stabilire suscipiunt ostendendo invalida esse argumenta allata ad adstruendam obligationem de qua agitur. Neque ejusmodi tantum est hic modus argumentandi quem *negativum* vocant; talis enim est obligatio ista ut omnino censeri nequeat Deum eam hominibus imposuisse quin tanto rationum lumine eam manifestaret ut res dilucide constaret, si non omnibus omnino hominibus, saltem iis qui rite eam investigandam susciperent; perinde igitur hic est non existere, ac non posse demonstrari. [616, 617.]

Itaque ad argumenta Thomistarum sic respondent.

Ad 1m respondent 1° ex eo quod homini licet secundum exigentiam naturae *humanae* agere, etsi non agat ab finem *rationalem*, dummodo agat ob finem sensibilem qui bono rationali non adversetur. [618-620.]

2° Respondent ex eo quod aliud est agere ob finem *rationalem*, aliud vero ob finem *honestum:* deinde ad ea quae afferuntur ad confirmandum argumentum respondent hominem, vel in actibus indifferentibus, satis distingui a brutis, quum (*a*) sint alii hujusmodi actus qui vel secundum *substantiam* sint homini proprii, deinde (*b*) in iis qui non sint homini proprii secundum substantiam, potest homo agere *modo humano*, ac denique (*c*) quod attinet vel *ad regulas morum*, profecto non est more brutorum agere, si quis sit animo ita dispositus ut non esset acturus si actus his regulis adversaretur. [621-623.]

3° Denique ex principiis ipsius S. Thomae responderi potest actus, de quibus sermo est, moraliter *bonos* esse, et ideo non indigere relatione aliqua extrinseca ut agente rationali omnino digni fiant. [624.]

Ad 2m Thomistarum argumentum sunt 1° qui respondent textum intelligendum esse, non de ratione *condemnationis*, sed de ratione *discussionis*. [625, 626.]

2° Alii eum interpretantur de verbo, non quidem *otioso*, sed *calumniatorio*. [627.]

3° Vero alii communius, fatentes sermonem esse tum de ratione condemnationis, tum de verbo otioso, respondent verbum (et idem de alio quovis opere dicendum esse animadvertunt) non ideo dicendum esse otiosum quod sine fine honesto fiat, dummodo fiat ob aliquod naturae bonum, saltem sensibile, quod bono rationali non adversetur; sponte tamen fatentur malos esse hujusmodi actus si fiant "cum temporis," ut aiunt, "excessu." [628-634.]

4° Denique responderi potest non solum *non mala*, sed moraliter *bona*, esse ea de quibus hic est sermo. [635.]

Ad 3m quoque pluribus modis respondent Scotistae. Sic 1° animadvertunt propositionem 8vam *causalem* esse, et ideo damnari potuisse ob clausulam saltem secundam, quae quidem plane dam-

nanda est ; affirmat enim (*a*) appetitum sensitivum posse licite in sua delectatione, ut in fine, conquiescere ; idque (*b*) in *omnibus* actibus quibus inest sensibilis delectatio. [636-641.]

2° Respondent propositiones, vel in clausulis prioribus, reipsa duo affirmare sine quibus doctrina Scotistarum optime defendi potest, etenim (*a*) sermo est de actibus, ut v.g. comedendi et bibendi, de quibus Scotistae, saltem haud pauci, sententiam suam non proponunt, sive quia actus ii hominibus cum brutis communes sunt, sive quia ejusmodi sunt (etsi alterius quidem hujus exceptionis ratio minus solida esse videtur) quibus delectatio ideo annexa sit ut homines facilius iis utantur ; atque (*b*) sermo est de iis qui comedant, immo etiam qui bibant, "usque ad *satietatem*," quae vox (*a*) si significat saturitatem (atque saltem ambigua est locutio), ostendit illicitum esse actum vel *comedendi*, quem propositio licitum esse affirmat ; immo, etiamsi (*b*) mitiore sensu intelligatur, de eo tantum quod satis est ad appetitum sedandum, adhuc propositio, ut profertur, plane falsa est; affirmat enim licitum esse quousque *bibere*, ut vix fieri possit quin potus, si sit inebrians, ebrietatem inducat. [642-651.]

Ad 4m Thomistarum argumentum, quibusdam [652–660.] praemissis, sunt 1° qui negent textum intelligendum esse de praecepto. [661, 662.]

2° Alii respondent praecepto satisfieri quum quis *licite* agat, sive actus boni, sive indifferentes sint. [663, 664.]

3° Vero et praecipue, respondendum est, ex doctrina S. Thomae, praeceptum illud non differre a praecepto charitatis, quod quum adimpletur efficit non quidem ut actus, alioquin indifferentes, fiant moraliter *boni* (ad quod quidem profecto requiritur relatio *virtualis* ejusmodi ut agens censeri possit *virtute* illius agere), sed ut actus, alioquin moraliter boni, *meritorii* fiant praemii supernaturalis : adeo quidem ut textus minime respiciat controversiam, de qua hic agitur, de relatione istiusmodi quam propugnent Thomistae [665-672].—Hoc igitur textu praetermisso, solvenda est quaestio ex argumentis tribus prioribus, quae plane ostendere videntur saltem longe probabiliorem esse sententiam Scotistarum. [673].

Denique ex pluribus S. Thomae textibus ostenditur tantum abesse ut ipse Doctor Angelicus agnoscat obligationem referendi actus, quam hic propugnant Thomistae, ut contra aperte doceat actus istiusmodi, de quibus hic agatur, *moraliter bonos* esse eo ipso quod non sint mali. [674–688.]—Neque tamen omittenda est illa relatio. [689-692.]

FINIS.

BROWNE ET NOLAN, DUBLIN.